DE EXACTO ANNORUM NUMERO A MUNDI CREATIONE OPUSCULUM...

Marcello Barone

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
A
8
NAPOLI

XLVI
14
3.

DE EXACTO ANNORVM NVMERO A MVNDI CREATIONE

OPVSCVLVM.

DE EXACTO ANNORVM NVMERO A MVNDI CREATIONE OPVSCVLVM.

AVTHORE

P. FR. MARCELLO BARONE

Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtro.

NEAPOLI,
Ex Typographia Jacobi Raillard 1694.
Superiorum Facultate.

NAPOLI

EMINENTISSIMO,

ET REVERENDISS.^{MO} PRINCIPI

D. FR. VINCENTIO MARIÆ VRSINO,

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Archiepiſcopo Beneventano, ex Ordine Prædicatorum.

ARduum planè fuit, meæ præſertim tenuitati, Eminentiſſime Princeps, à Mundi

 crea-

creatione totum percurrere tranſactum tempus; atque annorum ſeriem numerando, ad poſtremos evoluere. Ductu ſiquidem Doctrinæ Divinitùs inſpiratæ, ejuſdemque regulæ fulcimento quamvis fuerit dimenſio omnium ſecuriſſima, res tamen ipſa obſtruſo in tramite difficultatibus undique ſcatens, atque implexa dignoſcitur. At pervium nanciſci contingit, facillimèque præſtatur Opuſculi Patronum aſciſcere; nullo nempè habito ad Alienos, extra-

neoſ-

neoſque recurſu, intra nos ipſos, in Sanctiſſimi Patris Dominici Ordine confeſtim conſpicitur obviam, ac ſortiri feliciter datur præſtantiſſimam Eminentiæ Veſtræ Animi ſublimitatem, quò prorsùs confluunt omnia ſuſpicienda, ut ab elevatiſſimo ejus culmine cunctorum eloquia quam nimis inferiori tractu inveniantur deficere, magnoque intervallo diſtantia. Non recolam in præſenti Gentilitiæ ſtemmata Nobilitatis, ac ingenuam Familiæ antiquiſſimã Am-

plitudinem, quando de illa omnium penè Scriptorum defeſſis calamis Monumenta loquuntur; & modeſtiæ, qua ſingulariter in laudibus erubeſcis, majori ſemper fuit in pretio, Majores imitando veſtigiis, emicare ſapientiæ radiis, virtutum decore, morumque probitate clareſcere; atque ità Illorum effulgere præconiis, ut mutuo quodam Luminis fœnore eoſdem in Te ipſo celebriores efficias. Teſtis mihi locupletiſſimus erit ſpiritus ille, ac Charitatis fer-

vor,

vor, quo Religionem profeſ-ſus, terrenorum deſideriis ſublimiter abdicatis, ſolius Dei, regulariſq; obſervantiæ cultor, luculentum perfectionis ſpeculum, & exemplar adhuc Perfectis Te præbuiſti. Quodque majus eſt, ad Purpureæ dignitatis faſtigium, licet obnixè reluctans, evectus, eundem ſervas vitæ tenorem, Aulas extra Cœnobia in Cœnobia mutans; ut facillimè confidere poſſit in Aula, qui vult eſſe pius. Quin ſanctionibus adhuc noſtris mirabili

fœdere nectis munia Præſu-
lis : nec omittens, quæ ad
inſtitutionem, progreſſuſque
conferunt propriæ puritatis,
ac ſanctimonię, nec deficiens
commiſſi Gregis diligenti
ſemper invigilare cuſtodia,
Proximorum promovere
ſalutem, totuſque eis inten-
tus Perſonæ dignitatem, non
ſine amplioris cenſu digna-
tionis impendis ad imme-
diatum uſque Sacramento-
rum miniſterium; nullique
rursùs parcens labori in
Domini vinea excolenda,
præſtabilis Sapientię ſemen,

undè

undè in uberrima Animarum collectione lætaris, effundere non deſiſtis, ferventes ad populos conciones habendo. Quid ultra? Inter innumera ſubdam dumtaxàt, quod egenorum omnium neceſſitatibus libentèr occurrens, eleemoſynas profuſiùs eroges; nimirùm quia, ut verus Dominus opum, eas poſſidere nõ cenſes, quam elargiendo, atque dùm fueris elargitus ad Dei bonorum omnium Largitoris honorem, multis millibus aureorum expenſis, tanquàm

ab

ab altero Salomone, in Illius Domo magnificè inſtauranda. Eandem noſtra, ſeù meliùs dixerim, tua Religio, quam ſummo non deſinis proſequi ſemper amore, experitur Munificentiam in Eccleſia Conventus Beneventani Cõgregationis Sãctæ Mariæ Sanitatis: quæ ærumna terræmotus jàm diruta, in dies venuſtiori pompa reficitur; ac ad ſui complementum redactum iri confidimus; cum Magnificentiæ, numquàm deſint ſtipendia Charitatis. De

hac

hac itidem Animi magni-tudine & ego præſumens, Opuſculum hoc, etſi minimum, eidem offerre non reformido; eo vel magis, quod in facultate alioquin non eſſet mea, illud non exhibere, quando ab exiguo, quod valet, abſolvitur Nemo, quamvis ad reddendum pro debiti æqualitate deficiat inops. Tantæ igitur innixus Clementiæ humiliter rogo, Eminentiſſime Domine, ut modico contentus, læta fronte digneris illud accipere, ac propitiis oculis intue-

tueri; offerens & me ipſum, ut ſum ſemper

EMINENTIÆ TUÆ

E Conventu S. Mariæ Sanitatis de Neapoli duodecimo Kalendas Novembris MDCXCIV.

Humillimus, & obſequentiſs. Servus
Fr. Marcellus Barone Ordin. Prædic.

Nos

Nos Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CVm uti nobis exponitur, R. A. P. Magiſter Fr. Marcellus Barone Congregationis noſtræ Sanitatis de Neapoli Opus, cui titulus: *De exacto annorum numero à Mundi creatione Opuſculum*, compoſuerit, illudque prælo ſubiicere deſideret. Nos harum ſerie noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliàs ſervandis, paternè indulgemus, dummodò à duobus PP. Magiſtris præfatæ Congregationis à R. A. P. Magiſtro Vicario generali Congregationis deputandis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem, &c.

Da-

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 20. Martii 1694.

Fr. Antoninus Cloche.

Locus † Sigilli.

Reg. fol. 3.

Fr. Salvator Aſcanius Magiſter, & Socius.

AP-

APPROBATIO

A.R.P.F. Magiſtri Thomæ Gallotti.

EX ordine Reverendiſs. Patris Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum P.F. Antonini Cloche, perlegi Opuſculum ab Adm. Rev. P. Magiſtro Fr. Marcello Barone compoſitum: *De exacto annorum numero à Mundi creatione*; Et quia ipſum reperi cũctis numeris abſolutum, eruditione refertum, ac præſertim in Angelici noſtri Doctoris doctrina apprimè excultum, ideò publica luce reputo dignum. Datum in Conventu Sanitatis de Neapoli, die 24. Maii 1694.

Fr. Thomas Gallotti Magiſter.

AP-

APPROBATIO

A.R.P.F. Tereſii Deſio S.T. Magiſtri.

EX commiſſione Reverendiſs. Patris Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum Fr. Antonini Cloche perlegi librum, cui titulus eſt: *De exacto annorum numero à Mundi creatione Opuſculum*, ab A.R.P. Magiſtro Fr. Marcello Barone compoſitum; & quia nihil in eo Fidei Catholicæ, bonis moribus, Sacriſque Canonibus, ac Conciliis, nec non Pontificum decretis contrarium, quin potius omnia prædictis conſona cōtineri comperi; Cumque ſit opus multa eruditione ornatum; multumque Sacrarum Scripturarum amatoribus delectabile; ideò Typis dignum Authoris laborem judico. Datum Neap. in Conventu S. Mariæ Sanitatis die 1. Junii 1694.

Fr. Tereſius Deſio S.T. Mag.

EMI-

EMINENTISS.MO E REVERENDISS.MO SIG.RE

IL P.F. Marcello Barone Maeſtro dell'Ordine de'Predicatori, ſupplicando eſpone all'Em. Sua, come deſidera dare alle Stampe un Trattato: *De exacto annorum numero à Mundi creatione*, per tanto ſupplica V. Em. degnarſi commetterne la reviſione à chi meglio le parerà, ut Deus.

Rev. D. Simon Viglinus videat, & in ſcriptis referat die 27. Maii 1674.

JO: ANDREAS SILIQUINVS VIC. GEN.

Canonicus D. Ianuarius de Auria Conſ. S. Off. Deputatus.

EMINENTISS.ME ET REVERENDISS.ME DOM.NE

VIdi Juſſu Em. Tuæ, Librum, cui titulus: *De exacto annorum numero à Mundi creatione*, ab Adm. Rev. Patre S. Th. Magiſtro Fr. Marcello Barone Ordinis Prædicatorum Congregationis S. Mariæ Sanitatis eruditiſſimo calculo elaboratum; nec Verbum quidem Fidei, aut moribus moleſtum claudit, Typis igitur mandetur (ſi ità Em. Tuæ placet) dignum enim cenſeo, ut in perpetuam futurorum ſæculorum

me-

memoriam vivat, qui mortuam præteritorum memoriam è tumolo excitat. Ex edibus propriis die 30. Maii 1694.

Em. Tuæ

Humillimus, & obſequentiſs. Servus
D. Simon Viglino.

Attenta relatione retroſcripti Rev. Domini Reviſoris, quod poteſt imprimi.

IMPRIMATVR die 5. Auguſti 1694.

JO: ANDREAS SILIQVINVS VIC. GEN.

Canonicus D. Ianuarius de Auria Conſ. S. Off. Dep. ſuper editione librorum.

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P.F.Marcello Barone dell'Ordine de' Predicatori, Maeſtro nella Sacra Teologia, eſpone a V.E. come hà compoſto un Libro, intitolato: *De exacto annorum numero à Mundi creatione Opuſculum*. E perche deſidera darlo alle Stampe, ricorre da V.E. e la ſupplica reſti ſervita commetterne la reviſione, à chi meglio parerà à V.E., e lo riceverà à gratia ut Deus.

Rev.D.Matthæus Gaudioſus videat, & in ſcriptis referat.

MIROBALLVS REG. GASCON REG.

Proviſum per S.E.Neap. die 7.Iunii 1694.

Anaſtaſius.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

ATtento, jucundoque animo, de mandato E.V. Opuſculum legi, cui inſcriptio: *De exacto annorum numero à Mundi creatione*, per A.R.P.S.Th.Magiſtrum Fr. Marcellum Barone Ord.Prædicatorum, enucleatè, eruditè, ingenioſè, elegantèrque conceptum, quod quidèm, nec

in

in minimo Regiæ Iuriſdictioni adverſatur: Ergò, ſi E.V. placuerit, prælo meritiſſimum cenſeo. Neap. XVII Kal. Iulii 1694.

Exc. V.

Humillimus, & devinctiſſimus Servus
Abbas Matthæus Gaudioſus
I.V. & S.Th.D. & Magiſter RR. Capituli,
& Cleri Neapol. Procurator.

IMPRIMATVR, verùm in publicatione ſervetur Reg. Pragm.

MIROBALLVS REG. GASCON REG.

Proviſum per S.E. Neap. die 18. Iunii 1694.

Anaſtaſius.

DE

DE EXACTO ANNORUM NUMERO A MUNDI CREATIONE.

CAPUT PRIMUM.

An potuerit aliqua creatura permanens ab æterno produci.

ANnorum numerum, qui à Mundi exordio ſunt uſque ad præſentem diem jam abſoluti, pro mearum virium imbecillitate inveſtigaturus, eoſq; ex ſacris literis ad calculum reducturus: pro certo habendum reor, nemine refragante, in aliis multis anterioribus annis, à quibus de facto incepit, ſemper tamen ſecundum aliquam finitam, ac

determinatam deſignationem tē•poris imaginarii, Univerſum incipere potuiſſe. Illud verò ſtatim ſe offert hìc inquirendum, an ſcilicet potuerit etiam ab æterno produci. Ideòque, quamquam fuerit proprium ſcholaſticorum diſſidium, quadam occaſione ſumpta diſcutere non pigebit, quantum aſſumpti muneris ratio permittet; atque à congrua cujuslibet rei prævia introductione depoſcitur.

Duplex autem creaturarum ordo communiter diſtingui ſolet, alter eſt creaturæ permanentis, ſivè ſit incorruptibilis ſecundum eſſe, & variabilis quo ad operationem, ut eſt Angelus, qui Ævo menſuratur, & etiam ſunt Cęli, & Aſtra, quæ, dùm ſubſunt ſucceſſioni motus, temporis agnoſcunt menſuram: ſivè corruptibilis ſit, ut ſunt corpora ſublunaria, quatuor ſcilicet elementa, lapis, lignum, & conſimilia; quorum quidditativum eſſe, nec conſiſtit, nec eſſentialiter importat ſucceſſionis

ſionis viciſſitudinem. In ſecundo ordine rerum collocantur tempus, & motus, nec non mutationes ſucceſſivæ prius, & poſterius neceſſariò admiſcentes; ac eadem videtur eſſe ratio de viventibus, quæ non aliunde à non viventibus ſecernuntur, quam per motum, quo ſe movent in actu ſecundo; ſicque in eis omni motu ceſſante, non viva, ſed mortua forent.

Utque à permanentibus ordiamur creaturis, non vulgarium Doctorum, ſequentium Beatum Albertum Magnum, ac Divum Bonaventuram, fuit opinio, neutiquàm potuiſſe ab æterno creari. Verùm celebrior, atque verior aliorum ſententia cum Angelico Doctore variis ſuæ doctrinæ locis, præcipuè opuſc. 27. in illarum æternali conditione nullam agnoſcit contradictionis implicātiam; ac ſubindè denegandum non eſſe, ab omnipotentia Conditoris effici potuiſſe.

Et primò quidem impoſſibilitas oriri potuiſſet ex reali præcedentia, quam in durando exigere videtur cauſa efficiens, ut ſuum producat effectum: quæ realis præcedentia repugnat cum æternitate effectus; qui, ſi ab æterno eſſet, nullam realem durationem, in qua non eſſet, ſupponeret. At ipſo Sole clareſcit, ut alia mittam exempla, ſimul ac eſt, abſque ulla prorsùs reali præcedentia lucem effundere. Quantò magis ergò infinita virtus, primo competens Opifici ab æterno, ab æterno potuiſſet in aliquem effectum prodire, ſi ei libuiſſet? Quod enim ratione ſuæ virtutis competit neceſſariò cauſæ neceſſariæ, liberè, ſeù poſſibiliter competit cauſæ efficacioris poteſtatis, nec indigenti prævia conſultatione ad deliberandam ſuam actionem. Id quod in Angelis compertum eſſe videtur, qui in eodem inſtanti, quo conditi fuerunt, liberum actum, ac meritorium elicuerunt;

ad

ad quem tamen ſpecialiter à Deo applicabantur,eique tributus fuit, ſicut primus motus cordis aſcribitur generanti, ut prima parte qu. 63. art. 5. traditur à Thomiſtis; propter quod nequibant in eo peccare; cum nefas ſit,peccatum in Deum Authorem reducere.Magiſque in humana Chriſti Domini voluntate manifeſtatur, quem Theologi ex illo Divi Pauli ad Hebræos 10: ingrediens Mundum dicit Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; holocauſtomata pro peccato tibi non placuerunt,tunc dixi,ecce venio,communiter docent,liberum actum noſtræ promeritorium ſalutis in primo elicuiſſe ſuæ conceptionis inſtanti. Eo quia, ubi ſupponitur plenitudo cognitionis, habetur certitudo judicii de eo, quod agendum eſt, nec præcedens requiritur conſultatio. Quæ doctrina à fortioti locum habet in mirabili Dei ſapientia; ratione cujus ſicut de facto liberum

actum habuit ab æterno electivum Angelorum, & hominum ad gloriam; & quemadmodum liberum actum elicuit condendi Mundum abſque ullius moræ, ac ſuſpenſionis defectu: ità indecens videtur aſſerere, ex capite libertatis non valuiſſe ab æterno permanentem aliquam creaturam efficere. Siquidem eadem efficaciſſima vi pollebat in actu decretivo, & effectivo. Qui proindè nec ſucceſſu temporis incrementum virium acquirebat, nec in æternitate præpediri à quopiam poterat.

Inſtare ſecundò poſſunt: illam creaturam permanentem neceſſitate eſſendi per totam æternitatem gaudere, Deoque eſſe in duratione æqualem; quod repugnat omninò. Verùm diminuta neceſſitas eſſendi, quam ex ſuppoſitione vocant, cum limitatione creaturæ non pugnat, ſicut neceſſitas abſoluta, & ſimpliciter talis; ac ſubindè in nullo divino prædicato, ſecundùm quod proprium Dei eſt,

ejus

ejus parilitatem ſortiri continge-
ret. Solum enim tandiù duraſſet,
quandiù duravit Deus per quan-
dam imitationem, ut loquar cum
Divo Thoma 3. de potentia art. 14.
ad ſecundùm pro parte affirm.
adeòq; non duraſſet per æternitatē
independentem, aut eſſentialitèr
exigitam, ſed ei tributam ex gra-
tuita, ac libera voluntate Condi-
toris, cum potentia deficiendi in
æternitate à parte poſt, ſeù etiam
in quolibet ſignato tempore ima-
ginario ante hoc tempus de facto
productum. Undè potiùs duraſſet
Ævo infinito à parte ante, quam
æternitate, quæ eſt Dei proprium
Attributum. Qua de cauſa Sancti
Patres benè contra Arrium argue-
bant, quod, ſi Verbum Divinum
Patri eſt coæternum eadem gau-
dens æternitate Patris, ut collige-
bant ex illo Divi Joannis primo,
In principio erat Verbum, nequeat
eſſe creatura. Etenim æternitas
propriè loquendo, abſolutam ne-
ceſſitatem, ac undequaque indefe-

ctibilitatem expoſcit eſſendi, nec valēs principium durationis agnoſcere neque finem; eſt enim ex Boetio in fine de conſolatione, interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.

Quod ſi tertiò replicetur, proprium eſſe creaturæ inceptionem eſſendi, ſtatim occurrimus, id verum eſſe de inceptione, ſeù potiùs de principio cauſalitatis ſuæ dependentiæ, ſecus verò de inceptione, ſeù principio durationis. An quia fortè facta eſt nihilo, nihilum ipſius debuit realiter præcedere, & ſic ipſa nequivit ſemper realiter ab æterno fuiſſe? Sed neque hoc urget, quoniam, ut rectè Divus Thomas prima parte qu.46. art. 2. ad ſecundum, creatura dicitur facta ex nihilo, eo quod non eſt facta de aliquo ſui, & ſubiecti, non autem quod nihilum ejus debuerit duratione præcedere, niſi fortè natura.

Nec proindè inferas, quod jàm realitèr ſimul eſſent nihilum crea-

turæ,

turæ,& eſſe ipſius,quod eſt impoſſibile. Siquidem in contrarium aſſerimus, præcedentiam ſolius naturæ tunc ſolùm realiter compati cum coexiſtentia ſubſequentis, quando eſt præcedentia cauſalitatis ad effectum; cum nequeat cauſa realis, dùm influit, non habere realiter, ſaltem in ſui virtute id, quod facit; & hoc modo Sol in horizonte natura ſolum præcedit illuminationem ibidem cauſatam, ipſique realiter coexiſtit: quod & verum habet in omnibus cauſis etiam materiali, & quæ ſolum natura præcederent ſuos effectus. Quando autem eſt præcedentia naturæ ſecundùm intelligi ipſius rei præcisè ſecundum ſe,non eſt opus, ut ſimul realiter jungantur præcedens, & ſubſequens; homo enim quamquàm in aliquo priori intelligatur effectus ſecundùm ſuam ſubſtantiam,non intellecto aliquo colore, negatio tamen alicujus coloris non coexiſtit realiter cum colore, cum quo ho-

mo ſemper producitur : actio Dei creativa animæ rationalis (quæ ſecundùm ſe non eſt unitiva ad corpus organizatum, quia id præſtatur à generante) natura præcedit actionem unitivam illius, & tamen negatio actionis unitivæ non exiſtit ſimul cum actione creativa. Quæ doctrina multo magis militat in præcedentia naturæ termini, à quo expulſi, adhùc ſi nullatenus realiter præcedat. Undè fieri poteſt, quod nihilum, ex quo creata fuiſſet creatura ab æterno, nec realiter præceſſerit ipſam, nec ei realiter coextiterit; ſicuti, quamvis generatio ſit tranſitus ſubiecti de non eſſe ad eſſe formæ, in generatione vermium ex ſpeciebus Sacramentalibus non eſſe formæ vermium, nec præceſſit realiter in ſubiecto, in eodem inſtanti generationis creato, nec ſimul fuit realiter cum hujuſmodi forma. Sicuti ergò ad præfatam generationem ſufficit, quod ſubiectum intelligatur, non habere formam

mam ex vi ſuæ creationis, quam tamen habet ex vi generationis: ità ad creationem ex nihilo ab æterno ſufficit, intelligi creaturam ex vi propriæ quidditatis, & de ſe non habere eſſe exiſtens, illud tamen habere per divinam efficientiam; quæ ſimul in eodem indiviſibili inſtanti æternitatis, utpotè non pugnantia, ut conſideranti conſtabit, eſſe poſſunt.

Quantum verò ad loquendi modum exiſtimo minùs propriè dici, creatura ſecundum ſe eſt non ens; ſiquidem nihilum, negatio, & non ens impoſſibile eſt, ut fiat ens poſitivum, multo magis quam quod una eſſentia poſitiva altera diverſæ rationis evadat. Undè, ſi quando inveniatur apud probatum Authorem, quod creatura ſecundum ſe ſit nihilum, & non ens, non eſt capiendum in omni rigore, exponendumq; venit, quod ſecundùm ſe præcisè non ſit ens, ſeù ſecundùm ſe præcisè habeat negationem eſſendi. Non quod

per hoc velim ponere eſſentias rerum ab æterno,ſed quatenus, conſideratis prædicatis eſſentialibus rerum præcisè ſecundum ſe, important negationem auferibilem eſſendi à parte rei,ſeù etiam ablatam ex vi actionis Dei, ſi producta fuerit ab æterno.

Sed quid, inquies quartò, ſi Angelus fuiſſet ab æterno creatus cum actu libero dilectionis Dei, fuiſſet ne ille actus infinitè meritorius, utpotè durans infinita duratione ? Negativè reſpondendum eſſe cenſeo; ſiquidem illum gradum meriti, quem ſemel habuiſſet in ſui elicientia, ſemper per totam æternitatem habuiſſet; aliàs cæteri gradus in æternitate non fuiſſent, ſed poſt; cum ergò in elicientia actus finiti, finitum ſit meritum, non debet adhuc in æternitate poſitum ad infinitatem extendi. Quoniam tunc ex diuturnitate actus virtutis venari debet meriti incrementum, cum novitatem laboris, ſeù operis ex

ſuc-

ſucceſſione reportat. Id quod clarificari poteſt exemplo lapidis, ligni, & ſimilium, quæ in æternitate producta, proxima corruptibilitate carerent ex conſona ratione illius ſtatus, ut recentiores notant cum noſtro Bañez prima parte quæſt. 46. art. 2. & quemadmodum conſonum eſt puero in utero matris non reſpirare, ità operatio bona Angeli in æternitate ad ulterius meritum nec procederet, nec aſpiraret. Alia, quæ apud Scholaſticos eruditè inveniuntur expoſita, non adducimus, cum in præſenti non ſit noſtri inſtituti Theſes, & controverſias Metaphyſico in puluere ad oculos excitare.

CAPUT 2.

An res ſucceſſivæ potuerint eſſe ab æterno.

QUoniam verò majus negotium faceſſit diſquiſitio de entibus ſucceſſivis, motu, tempore,

re,

re, & ſimilibus, per quæ propriùs ad Univerſi integritatem accedimus, aliquantulum operoſiùs eſt inquirendum, an potuerint eſſe ab æterno; ut indè aſſeramus, vel negemus, mundum ipſum potuiſſe ab æterno fieri. Non quaſi quod tempus quodcunque, adhùc finitum unius diei: quicunque motus unius circulationis fuerint ab æterno; id enim manifeſtam involuit repugnantiam, durandi ſcilicet finita menſura, qua durant, & infinita æternitatis: ſed an motus, & tempus potuerint fuiſſe æterna, ut quolibet ſignato die, Menſe, & Anno alii in infinitum præceſſerint: qualibet accepta circulatione Cœli, aliæ in infinitum præjerint, nec ſit in eis primam aliquam, non ſupponentem aliam, invenire. Sicuti cuilibet diei, & circulationi alia, & alia in infinitum abſque termino ſuccedere poteſt à parte poſt; propter quod, ſi ſemper pertraherentur, infinitate gauderent, quam tamen ſyncatego-

gore-

gorematicam vocant; ſeù in potentia ad differentiam infinitatis à parte ante, quæ categorematica foret, utpotè tota actu poſita.

Quamquàm autem inſigniores Thomiſtæ Joannes de Neapoli, Hervæus, Capreolus, Soncinnas, Caietanus, Ferrarienſis, ac ex modernioribus Maſius, Nazarius, Complutenſes, quibus non pauci ex exteris aſtipulantur, pro poſſibilitate acriter pugnant; nec concedere reformident, infinitas rerum generationes unam ante aliã præcedere potuiſſe; quorum ſententiam, ut valdè ingenioſam, licet veneratus fuerim, dùm philoſophicum curſum perſolverem, memor tamen propriæ parvitatis probabiliorem non reputo, nec fortè veriorem, ſecutus Sotum, Bañez, Joannem à S. Thoma, Suarium, Ruvium, alioſque Moderniores. Mentem verò Sancti Thomæ in hac parte in propatulo exponam inferiùs.

Variis relictis, nec quidem ſpernen-

nen-

nendis implicantiis, duas adducam, ac tertiam paulò extenſiùs proſequar. Primam deſumptam ex conceptu quidditativo motus, & temporis, ſic propono. Repugnat, quod eſt poſterius in durando, duraſſe in æternum, ſeù infinita duratione à parte ante; ſi quidem priorem durationem, in qua non erat, ſupponit. Tempus autem, & motus, quomodocunque ſumantur, eſſentialiter involuunt rationem poſterioris; definitur enim tempus: menſura motus ſecundùm priùs, & poſteriùs: & motus actus entis in potentia, prout in potentia. Ergo, quemadmodum ſi materiæ, quomodocunque ſumatur, ſivè ſecundum determinatam, ſivè indeterminatam portionem, ſivè ſecundum partes, ſivè ſecundum totum, repugnaret fuiſſe æviternam, repugnaret toti compoſito ex materia, & forma, fuiſſe æviternum; &, ſi corpori repugnaret ab æterno eſſe, id ipſum repugnaret albo; quod non eſt

aliud,

aliud, quam corpus habens albedinem: pariter, ſi poſteriori ut tali repugnat fuiſſe in infinita duratione, repugnabit id ipſum motui quomodocunque accepto, utpotè involuenti eſſentialiter poſteriùs. Repugnat ergo, quod hodiernam circulationem infinitæ aliæ præceſſerint, quia in omnibus iſtis, adhùc collectim ſumptis, ſicut includitur ratio motus, includitur ratio poſterioris, æternitati contraria. Et quidem, ſi ens corruptibile, puta lignum, nequit poni ab æterno abſque immutatione modi eſſendi, itaùt in æternitate ſortiatur corruptionem, ſic namque fuiſſet, & non fuiſſet ab æterno, ut in ſuperioribus tradidi: oporteret, ut motus poneretur ab æterno, mutari modum eſſendi ipſius, taliter quod ſecundum omnes partes collectim ſumptas (ut ponitur ab æterno) nullas poſteriores importaret, ſed ſimul coexiſterent omnes in æternitate, quod eſt impoſſibile.

Ex-

Explico magis. Motus ſecundum omnes ejus partes poſteriores, ſivè diviſim, ſivè collectim ſumptas, opus eſt, incepiſſe (eo modo, quo inquiunt, incipere ſucceſſiva, extrinſecè ſcilicet per ultimum ſui non eſſe) quandoquidem, quod anteà non erat, uti eſt poſterius, dùm eſt, per inceptionem eſt. At qui omnes partes poſteriores ſunt etiam priores; quia partes poſteriores, motus ſunt, qui priore, & poſteriore eſſentialitèr conſtituitur. Igitur motus ſecundum omnes partes opus eſt incepiſſe, adeòque ab æterno non fuiſſe.

Quò fit, aliam eſſe rationem de motu à parte poſt, qui in infinitum protrahi poteſt, quia nunquàm eſſet cum actuali carentia finis, ſicut motus infinitus à parte ante eſſet cum actuali carentia principii, quod repugnare contendimus. Undè ſicuti repugnat (& in hoc benè currit paritas) totum tempus abſque fine eſſe

actua-

actualiter expletum, ita & abſque principio totum extitiſſe.

Secundam ex noſtro Bañez allatam ſic propono. Actio Dei creativa, ut & quælibet actio, eſt exiſtentium, adeòque ſingularium ſecundum eſſe determinatum. Igitur Sol ab æterno creatus, ſicut habuiſſet eſſe determinatum propriæ entitatis, ità determinatum aliquem locum, ſeù partem Cœli, verbi gratia in Oriente, ibique per æternitatem fuiſſet, in qua proindè motum Solis dari repugnat.

Dicere verò, æternitatem eſſe virtualiter diviſibilem; ideòque actionem Dei creativam Solis potuiſſe terminari in æternitate ad omnes ubicationes determinatas quidem, & non abſtractas tàm Orientis, quàm Meridiei, Occidentis,&c.videtur effugium. Quia nos loquimur de ubicatione, loco, ſeù parte Cœli, quam habuiſſet Sol ex vi creationis, qua creatus fuit, non autem de illis locis,

& ubi-

& ubicationibus, quæ ponuntur ex vi motus, de quo eſt quæſtio, an fuerit poſſibilis. Vel ergò ex vi creationis nullum locum habuit, & hoc non, quia alias non potuiſſet circulariter moveri, quia corpus moveri, ſupponit eſſe illius in loco: vel ex vi creationis habuit omnia loca ſuæ circulationis,& jàm(præſcindendo à poſſibilitate replicationis) antecedenter, ſeù independenter à motu in omnibus illis per æternitatem permanſiſſet; ſi quidem ubi aliquid ab æterno ponitur productum, ponitur per æternitatem permanſiſſe. Undè ſicuti corpus ab æterno creatum cum colore, ex vi creationis habuiſſet proprium eſſe, & colorem determinatum, puta albedinem, nec in eo dari potuiſſet infinitus circuitus tranſitus, & reditus per accidentales generationes ad alios colores; & color ille, vel plures colores, ſi fuerint compoſſibiles, induerent modum quendam eſſendi incorrupti-

ruptibilem in æternitate, ut pluries diximus: ità, ſi Sol ex creatione locum habuit, non ſolum habere illum debuit determinatum, v. g. in Oriente, ſed nec etiam per infinitum circularem motum ad plura redire, & proficiſci potuiſſet loca; Et dato quod in pluribus partibus potuiſſet creari, in omnibus illis per æternitatem ſine motu manſiſſet. Quare virtualis diviſibilitas æternitatis in ordine ad terminum creationis ſolum inducit virtualem quandam ejuſdem permanentiam, non autem motus capacitatem, ſicut cum tali perſeverantia à ligno æternaliter producto corruptibilitas relegatur.

Sed agamus tertia, quam efficaciſſimam reputo rationem. Non potuerunt dari infinitæ generationes rerum ab æterno, taliter quod quælibet ſupponeret, præceſſiſſe aliam, & aliam in infinitum; ergò neque motus potuit fuiſſe æternus; eadem quippè ratio

tio eſt de pluribus revolutionibus in infinitum ejuſdem mobilis, ac in pluribus productionibus in infinitum plurium genitorum, ut benè notavit Hervæus in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. propter quod tàm illæ, quàm iſtæ dari poſſunt in æternum à parte poſt. Aſſumptum enthymematis manifeſtatur: generationes equorum v. g. non potuerunt fuiſſe ab æterno, ut nullus eorum fuerit immediatè à Deo productus; ſi quidem tota collectio individuorum alicujus ſpeciei non eſt ens à ſe, ſed cauſam habet, non unum collectionis, quia jàm eſſet etiam cauſa ſui ipſius: nec etiam mutuo ſe generaſſent per modum cujuſdam circulationis, quia aliquis ipſorum eſſet effectus ſui effectus, cauſa ſuæ cauſæ, ſupponerentur, & non ſupponerentur invicem exiſtere, quod implicat contradictionem. Rurſus illi equi, qui fuiſſent immediatè à Deo producti, mas, & fœmina non vixiſſent ſolum centum,

tum, vel mille annos, aliàs ante centum, vel mille annos non fuiſſent, nec proindè fuiſſent ab æterno: debuiſſent ergò vivere tempus infinitum. Inſuper nec generare incepiſſent, alias generationes haberent initium, nec eſſent ab æterno, ſemper ergò genuiſſent infinitis generationibus, nè in eis ſit primam aſſignare, quod repugnat cum generationibus ab æterno. At ad minus ſecundum ea, quæ de facto, & ordinariè videmus nõ imaginamur fuiſſe duos equos, qui vixerint infinitos annos, ac genuerint infinitos alios èquos. Repugnat ergò, ut probè ratiocinatur Faſolus, ad minus ſecundum ea, quæ ordinariè accidere videmus, generationes rerum extitiſſe ab æterno.

Cęterum id ipſum repugnare contendimus abſolutè, & ſecundum ſe ex conceptu generationis factæ ex prævia alteratione ſucceſſiva, de qua loquimur, ſicut in ſuperioribus locuti fuimus de mo-

tu

tu circulari, qui ſucceſſivus eſt. Quoniam de conceptu quidditativo cauſæ efficientis, quæ agit per motum, eſt quod præcedat duratione reali ſuum effectum; quia effectus non eſt niſi in termino motus, agens verò eſt in principio motus, & principium oportet præcedere finem ejus. Si igitur primi equi generantes, a Deo creati extiterunt ab æterno, nec equi geniti, nec eorum generationes ab æterno eſſe potuerunt.

Neque verò dici poteſt, generantem cum motu alterativo debere realiter præcedere quamlibet particularem generationem, & genitum, non autem omnes collectivè acceptas, quæ ut infinitæ ponuntur ſempet præceſſiſſe. Nàm præterquamquod ex reali præcedentia generantis cum motu ſucceſſivo hoc ipſum inferimus, non potuiſſe ſcilicet dari talem collectionem in infinitum à parte ante, & ab æterno: Inintelligibile in primis videtur omninò, quod

omnes

omnes, ſeù nulla illarum generationum alteri coexiſteret, cum omnes fuerint una prior alia in infinitum, & quod fingi poſſit in eis ratio collectivæ acceptionis, ſecundum quam omnes coextiterint uni tertio, illis nimirum equis immediatè productis à Deo. Sicuti namque, quæ non ſunt eadem inter ſe, nec uni tertio, quamvis collectivè accipiantur, ſunt eadem: ità quæ non coexiſtunt inter ſe, nec uni tertio pro eadem duratione coexiſtere poſſunt, quomodocunque ſumantur, ea ſaltem ratione, qua propria menſura durationis exiſtunt; ut ſic detur locus Thomiſtarum, aliorumq; probabiliſſimæ opinioni de exiſtentia futurorum, ac præteritorum in aliena menſura ſuperiori æternitatis, ratione infiniti ejuſdem ambitus, omnes temporum differentias continentis: quæ tamen in propria menſura non coexiſtunt. Niſi velimus, quod eſt proprium divinæ æternitatis, extendere ad

equos illos creatos ab æterno;cum tamen tàm ipſi, quàm alii equi progeniti eſſent in propria menſura, ſcilicet ævo æternali, ſeù æternitate per participationem, & per accidens, in qua propria duratione illud mirabile daretur, quod equi progeniti ſibi non coexiſterent, & tamen uni tertio coexiſterent.

Deindè hac effici inſtantia reiicitur. Quia, quamvis in prædicatis competentibus partibus, ut partes ſunt, non valeat à ſingulis diſtributivè ad totam collectionem,& è contra:qua ratione duodenarius numerus non cuilibet pluralitati Apoſtolorum convenit, ſed toti eorum collectioni: alia tamen prædicata convenientia rebus, non ex ipſa ratione partium, vel totius, ſed aliunde, nequeunt non verificari de ejs adhuc collectivè ſumptis, etiam ſi ſint accidentalia, & multò magis ſi ſit quidditativa, undè non ſolum quilibet homo eſt animal ratio-

rationale, ſed etiam tota hominum collectio, ſivè finita, ſivè infinita eſſet: &, ſi ſinguli homines alicujus collectionis eſſent albi, tota illorum hominum collectiò alba foret; quia invariato principio alicujus effectus formalis, & prædicati, nec variatur effectus formalis, & prædicatum; principium autem rationalitatis in homine, & albi non eſt collectio, vel diſtributio, ſed rationalitas, & albedo.

Et ſanè, ſi aſſumpta doctrina non eſſet univerſaliter vera, ſua efficacia, ac ſoliditate enervarentur præcipua fundamenta, quibus Metaphyſici, & Theologi demoſtrare contendunt contra Atheos exiſtentiam Dei; ex eo namque quod quodlibet contingens nequeat ad eſſe reduci ſine ſui cauſa, tota collectio contingentium, quamvis infinita, pariter à ſui cauſa dependere debet, quæ ex ſe neceſſitate gaudeat eſſendi, aliàs eſſet unum ex contingen-

tium collectione. Similiter, ſi in cauſis per ſe ſubordinatis in agendo non daretur aliqua cauſa in agendo, ſeù in cæteras ſibi ſubordinando nulli ſubordinata (quæ utique Deus eſt) tota collectio cauſarum agere nequiret, cum de ratione cauſæ per ſe ſubordinatæ in agendo, univerſaliter ſit, non poſſe in efficientiam prorumpere ſine influxu ſuæ ſubordinantis, à qua in agendo dependet. Et propter hoc in cauſis per ſe ſubordinatis nequit in infinitum abiri, ſed tandem deveniendum eſt ad unam alteri non ſubordinatam, à qua incipiat actio; vel, niſi id verificetur uniformiter de ſingulis, & omnibus cauſis per ſe ſubordinatis, adhùc collectivè, jàm rerum productio reduci poſſet ad infinitas cauſas ſubordinatas ſine ſubordinante nulli ſubordinata; nec proindè hoc argumento convinci poſſet dari primum aliquem Motorem immotum.

Cum ergò, ut ad rem noſtram

re-

revertar, de ratione quidditativa generationis, & geniti per præcedentem alterationem, ſit ſubſequi reali duratione generantem, id ipſum competit omnibus generationibus, & genitis, etiam collectivè ſumptis; quia collectio effectuum non eós abſolvit ab hoc, quod ſint in termino relativè ad cauſam, nec cauſam quin ſit in principio motus ſucceſſivi relativè ad effectum. Cumque hujuſmodi realis ſequela ad generantem, repugnet infinitis generationibus ab æterno, repugnat etiam eas ab æterno fuiſſe. Quam rationem eſſe à Divo deſumptam, infrà clarè conſtabit.

Exempla verò, quæ in contrarium afferuntur à Faſolo, potiùs illam confirmant, quam infirmant. Etenim, quia de ratione circulationis eſt habere duas ſemicirculationes, unam priorem, alteram poſteriorem, ſi in æternitate à parte poſt dabiles eſſent actu omnes infinitę ſemicirculationes priores;

poſt eas dabilis eſſet etiam quædam ſemicirculatio poſterior complens ſuam ſemicirculationem priorem; adeòque à parte poſt datę eſſent omnes circulationes cō-pletæ. Igitur vice verſa in æternitate à parte ante nequeunt fuiſſe omnes ſemicirculationes poſteriores, quia, cum de ratione ſemicirculationis poſterioris ſit pręſupponere ſemicirculationē priorem, id etiam haberent omnes infinitæ ſemicirculationes poſteriores collectivè ſumptæ, quæ proindè non fuiſſent ab æterno, cum adhùc collectim ſumptæ, fuiſſent poſt ſemicirculationem priorem. Et hoc ipſum eſt, quod contendimus de generationibus infinitis prævia alteratione. Similiter numerus infinitus idcircò dabilis non eſt, quia menſurabilis non eſſet, & tamen de ratione cujuſlibet numeri eſt, ut ſit multitudo menſurata per unum, ut traditur à Divo Thoma 1. p. quæſt. 9. art. 4. Et quoniam de ratione medii eſt re-

reſpectus ad extremum, ſeù primum, & ultimum, repugnat conflari aliquam rerum collectionem, quarum omnia eſſent media, quia ſimul non eſſent media, ſi tali reſpectu carerent.

Alia demùm eſt ratio de partibus proportionalibus quantitatis ſivè continuæ, ſivè diſcretæ, quæ alias medietates minores, & minores in infinitum habent, quod de omnibus collectivè ſumptis non verificatur. Etenim, ſicut non obſtante earum infinitate, finitam, & determinatam extenſionem faciunt: ità mirum non eſt, quod ultrà omnes collectivè acceptas, alias minores non ſortiantur; quia ut ſic ſumuntur ſecundum eſſe totius determinati, cujus non eſt in infinitum obire; non enim eſt de ratione partium proceſſus in infinitum minores, ut partes ſunt, ſed ut indeterminatæ. At ſicuti eſt de ratione generationis ex prævia alteratione, quod ſit ſecundum ſe terminus

quo motus, ità de ejus ratione ſecundùm ſe eſt ſubſequi ad generantem.

Breviùs, & fortè clariùs: habere alias partes minores, eſt ex illis prædicatis, quæ competunt partibus quantitatis per comparationem ad compartes incluſas, ſivè infinitæ, ſivè finitæ eſſent; cum igitur partes proportionales omnes collectivè non includunt alias præter omnes, ſed potius in aliquo ſint tanquàm in toto incluſæ, ideò, quod aliis minoribus careant, ortum trahit ex propria ratione, non autem ex infinitate: & ſi de ratione generationis factæ per motum ſecundum ſe eſt realiter ſubſequi ad generantem, hoc ipſum habebunt in æternitate infinitæ generationes; quod tamen certum eſt repugnare.

Argumentum expoſitum alio conſimili roborari poteſt. Ponamus ad generationem alicujus viventis ſeptem Menſes requiri, ſi hujuſmodi generationes ab æter-

no eſſent infinitæ, æquivalerent ſolum infinitis ſeptem Menſibus; prædicata enim, uti ſupra vidimus, cōpetentia generationi ratione ſui, competunt etiam collectioni generationum. Ergò, ſi ab æterno non potuerunt eſſe ſolum infiniti ſeptem Menſes, ſed neceſſariò fuiſſent infiniti anni, infinitæ Olympiades, infinita ſæcula, &c. tales generationes non potuiſſent eſſe ab æterno, cum non potuiſſent implere totum tempus æternum.

Hucuſque locuti ſumus de aliis generationibus præter humanam, ſpecialem quandam difficultatem reſervantes, in præſens adducendam. Eſt autem: Si ab æterno fuiſſent infinitæ hominum generationes, jàm daretur multitudo infinita Animarum rationalium ſeparatarum; quippè quæ ſunt immortales. At qui repugnat numerus actualiter infinitus, ut nunc ſupponimus. Igitur.

Hoc agumento convicti qui-

dam Thomiſtæ, omnes alias generationes poſſibiles ab æterno fatentur, præter humanam; ac ex eadem infiniti repugnantia negant, in omnibus & ſingulis diebus infinitis potuiſſe Deum creare unum Angelum, quamvis in quolibet die ſecundùm ſe, & diviſivè id potuiſſet, ut pariter dici ſolet, quod in quolibet inſtanti diviſim unius horæ poſſet Deus Angelum creare, non autem in omnibus infinitis inſtantibus collectivè. Alii verò non renuunt admittere infinitatem Animarum rationalium, & Angelorum.

Contrà quos hanc urgemus inſtantiam: Ponantur Angeli in ſingulis diebus infinitis creari diverſæ perfectionis ſpecificæ, itaùt, qui in anteriori die creatus fuit, fuerit perfectior, & ſic in infinitum: Jàm tunc darentur nedùm infiniti Angeli, ſed etiam aliquis Angelus infinitæ perfectionis; eo quia in multitudine actu infinita nequit perfectio eſſe major, & ma-

& major in infinitum, & non eſſe infinita, quæ cum eſſet quidditativa, & quaſi quantitatis diſcretæ, jàm daretur aliquis Angelus in ſeipſo quidditativè infinitæ perfectionis. Quin immò darentur infiniti Angeli, quorum ſinguli eſſent infinitæ perfectionis; ſi quidem infinitum, qua tale, eſt infinities infinitum, non enim ſolum continet infinitas unitates, ſed infinita binaria, ternaria, quaternaria, &c. Undè deducitur ulteriùs, quod, ſi Angeli infinitæ perfectionis eſſent infiniti, eſſent pariter infinities infiniti, quorum ſinguli ab anterioribus excederentur in perfectione. Et cùm ex alio capite in eadem tota multitudine infinita Angelorum ab æterno producta, actu darentur non tot quin plures finiti Angeli in infinitum finitæ perfectionis, quorum unus excederet alium in perfectione, jàm in illa multitudine non ſolum darentur infinities infiniti infinitæ perfectio-

nis, ut vidimus, ſed etiam infinities infiniti finitæ perfectionis, quorum tamen unus excederet alium in perfectione;quod ex terminis ſatis repugnare videtur.

Illud certè negari non poteſt, Deum non poſſe creare perfectiorem Angelum his, qui ponerentur per ſingulos dies in æternitate producti perfectiores, & perfectiores in infinitum : ſicut in omnibus diebus in æternitate præteritis non eſſet anteriorem accipere. Sequela autem præterquamquod exhaurire videtur Divinam Omnipotentiam, exploditur ratione Divi Thomæ 1.contra agentes cap.69. n. 4 quia participabilitas Divinæ Naturæ utpotè increata, in infinitum diſtat à qualibet participatione creata, nec exemplar Divinę perfectionis adęquari proindè poteſt à qualibet exemplata perfectione creata, igitur poſita quàcunque perfectione creata ſemper remanet Deus in ratione cauſæ exemplaris partici-

pabi-

pabilis à majore, & majore perfe-ctione. Perfectio autem illorum Angelorum, qui fuiſſent ab æterno producti, adhùc collectivè ſumpta, creata eſſet; ergò jàm ſupra perfectionem totius collectionis eſt creabilis major, & major abſque fine perfectio. Quia nec aliquod unum eorum, verba ſunt Divi Thomæ, nec plura exemplata perfectionem exemplati adæquare poſſunt; & ſic ſemper remanet novus modus, quo aliquod exemplatum ipſum imitari poſſit.

Rurſus ponamus; proceſſum creationis Angelorum fieri ſemper à minoribus in perfectione ad majores, jàm cum eſſent omnes hujuſmodi Angeli exiſtentes, non ſolum daretur aliquis Angelus minimæ perfectionis, infra quem non potuiſſet alius in perfectione creari, ſed etiam ex una parte eſſet determinatæ perfectionis, utpotè exiſtentis, & indeterminatæ, quia cujuſcunque Angeli perfe-

ctione ſignata, ſemper verum eſſet dari alios minoris, & minoris perfectionis in infinitum, ſicut quolibet die præterito ſignato, alii, & alii præceſſiſſent in infinitum. Ac inſuper, ſequeretur, Angelum hodierno die creatum, quin immò in quolibet antecedente die eſſe infinitæ perfectionis; ſi quidem excederet infinitos gradus determinatos perfectionis, quibus eſſent determinatæ perfectionis ſinguli infiniti Angeli inferiores ad ipſum.

Demùm, ſicut ponuntur Angeli potuiſſe in infinitis diebus creari inæqualis perfectionis, ità poni poſſent, circulationes Cœli præceſſiſſe inæqualis tarditatis in infinitum: taliter quod anteriores, & anteriores fuerint tardiores, & tardiores: tunc data fuiſſet quædam circulatio infinitæ tarditatis, quod manifeſtè repugnat; quia ex ea parte, qua ſubſecutæ ſunt aliæ circulationes, eſſet tranſacta, ex ea verò parte, qua fuiſſet infinitæ

nitæ tarditatis, infinito tempore durasſet, & nunc etiam duraret: quo enim tardior, eo diuturnior motus eſt.

Quod ſi, ad hæc inconvenientia declinanda, reſpondeant, non potuiſſe produci infinitos Angelos diverſæ ſpecificæ perfectionis, ſed ejuſdem. Quidquid ſit, quod Angelos ſolo numero differentes repugnare ex Philoſopho ſuſtineat Sanctus Thomas, certè, ſi diverſitas ſpecifica Angelicæ perfectionis dabilis eſt in infinitum in potentia, cur repugnabit in multitudine actu infinita, niſi quia in illa multitudine ſequeretur aliquod incommodum; quæ proindè ex ſua repugnanti ſequela, ut impoſſibilis ſit releganda? Vel cur inſimulandi ſunt Thomiſtæ illi, qui dicunt, non potuiſſe in omnibus, & ſingulis diebus infinitis Angelos produci? Et quod negare, infinitum poſſe fieri à Deo, & concedere mundum potuiſſe eſſe æternum, vix

capi

capi poſſit? Sicut enim aſſerunt ipſi, non poſſe conjungi productionem infinitorum Angelorum in infinitis diebus cum diverſitate ſpecifica illorum: ità dicent illi, non dari infinitos dies, in quibus Angeli fuiſſent creati, quia indè daretur infinitum in actu, quod repugnare contendunt.

Satiùs ergò erit, hujuſmodi infinitates implicatorias cum aliis ſequentibus Divum Thomam, autumare, cujus mentem pro nòbis ſtare, non erit abs re in præſenti fuſiùs ſuadere. Aſſerimus itaque, conſtántem Divi Thomæ ſententiam fuiſſe, mundum quoad ſubſtantiam, ſeù quantum ad creaturas permanentes potuiſſe fieri ab æterno, ſecus verò quo ad motus, res ſucceſſivas, ac generationes. Nàm 1.p.qu.46. art.2. ad 1. adducens illammet doctrinam, in qua nos tertiam rationem fundavimus, inquit: cauſa efficiens, quæ agit per motum, de neceſſitate præcedit tempore ſuum effectum,

quia

quia effectus non eſt niſi in termino actionis, agens autem omne oportet eſſe principium actionis. Sed ſi actio ſit inſtantanea, & non ſucceſſiva, non eſt neceſſarium, faciens eſſe prius facto duratione. Et, ex eo quod creatio, qua Deus produxit, non eſt mutatio ſucceſſiva, tradit, non inferri, Deum eſſe mundo priorem duratione; adeoque aliud quodcunque agens per motum ſucceſſivum non potuiſſe agere ab æterno abſque præcedentia ad ſuum effectum, ac ſubindè cujuſcunque agentis per motum ſucceſſivum generationes non potuiſſe eſſe ab æterno, ſed poſt æternitatem, in qua agens præcederet effectum, ut ſupra arguebamus. Et ſecundo contra gentes cap.38.ad 1.inquit: Agens de neceſſitate præcedere effectum, qui per ſuam operationem fit, verum eſt in his, quæ agunt aliquid per motum, quia effectus non eſt niſi in termino motus, agens autem neceſſe eſt eſſe etiam, cum mo-

motus incipit, in his autem, quæ in inſtanti agunt, hoc non eſt neceſſe. Ex quibus verbis, ſicut non excluditur ab æterno actio inſtantanea Dei, ità excluduntur generationes cauſarum agentium per motum ſucceſſivum. Videri etiam poteſt opuſc. 27. Clariſſimè verò ſuam mentem exponit quantum ad hoc primum loco citato 1. partis ad 2. ubi, cum ſibi objeciſſet inconveniens de infinitis animabus ab æterno productis; & relatis Gentilium effugiis, deſumptis, ſivè à poſſibilitate infiniti à ſe rejecta quæſt. 7. art. 4. ſivè à corruptibilitate, vel circuitu animarum, inquit: conſiderandum tamen, quod hæc ratio eſt particularis; undè poſſet dicere aliquis, quod Mundus fuit æternus, vel ſaltem aliqua creatura, ut Angelus, non autem homo. Nos autem intendimus univerſaliter, an aliqua creatura fuerit ab æterno (ſcilicet poſſibiliter) & loco citato contra gentes ad 6. ſolum refert

caſ-

eaſdem Gentilium reſponſiones, & argumentum inſolutum relinquit; cui tamen cap.81. ad 3. non aliter occurrit, quam cum negantibus æternitatem Mundi; nàm relatis eiſdem Gentilium poſitionibus, tandem concludit: certum tamen eſt, circa hoc nullam difficultatem pati Catholicæ Fidei profeſſores, qui æternitatem Mundi non ponunt; quaſi diceret, ea poſita ſivè actualiter, ſivè poſſibiliter, in aliquod unum ex præfatis inconvenientibus incidi reſpectivè, ſivè actualiter, ſivè poſſibiliter.

Quare dùm ſolvit aliquas rationes minus convincentes impoſſibilitatem motus ab æterno, non eſt, quod ſentiat ipſe, motum fuiſſe poſſibilem, ſed id in aliorum gratiam præſtat; in reſponſione enim ad primum art. 2. qu. 46. 1. partis habet, undè dicunt: & ad ſecundum, quod illi, qui ponerent Mundum æternum; ad tertium verò notabilem tradit doctrinam,

ctrinam, quod ratio Anaxagoræ neceſſariò concludit de intellectu, qui deliberando inveſtigat quid agendum ſit, quod eſt ſimile motui; ergò quemadmodum concluditur neceſſariò ex tali ratione, operans deliberando per intellectum, non potuiſſe operari ab æterno ſecundùm Divum Thomam: Ità ſecundùm eundem dicendum eſt, nec motum potuiſſe eſſe ab æterno. Similiter ad quartum loquitur in perſona ponentium æternitatem Mundi, & ad octavum inquit: hanc rationem ponétes æternitatem Mundi multipliciter effugiunt. Undè ad ſeptimum non abſolutè, & univerſaliter concedit, in cauſis per accidens ſubordinatis poſſe procedi in infinitum, ſed ſolum quandam majorem implicantiam proceſſus in infinitum inveniri in cauſis per ſe ſubordinatis, quæ non invenitur in cauſis per accidens ſubordinatis; cum quo ſtat, in his ſuam propriam inveniri, ſi

po-

ponantur à parte ante, nàm ſi fuerint à parte poſt, nulla invenitur, ut ipſe exemplificat in artifice, qui agit multis martellis per accidens, quia ùnus poſt alium ſrangitur; propter quod abſolutè ſubdit: non eſt impoſſibile, quod homo generetur ab homine in infinitum.

Quod expreſſiùs explicat loco ſuperiùs citato contra gentes ad quintum, ubi poſtquàm tradiderat, in cauſis per ſe ſubordinatis non poſſe procedi in infinitum, quia oportet, effectum dependere ex actionibus infinitis ſimul exiſtentibus, inquit, in cauſis autem non ſimul agentibus hoc non eſt impoſſibile ſecundum eos, qui ponunt generationem perpetuam. Et quidem nonnè abſolutè cenſet Divus Thomas repugnare infinitas hominũ generationes fuiſſe? Et tamen in ſolutione ad quartum in eodem artic. 1. partis non negat, poſſe dici ſecundùm Philoſophorum ſenſum (quod & facit

cit 3. de potentia art. 17. ad 2. pro parte negativa) artes ad hominum ingenia pertinentes fuiſſe infinities corruptas, & inventas. Quidni pariter dicatur, infinitas à parte ante generationes ex propria ratione contradictionem involuere, quam tamen ex paritate repugnantiæ infinitarum cauſarum per ſe ſubordinatarum non adducunt? Simili quodam modo 3. de potentia artic. 17. ad 17. reſpondet, quod illa ratio (ducta ſcilicet ex carentia principii, & finis in primo mobili, quod eſt circulare) non probat, quod motus ſemper fuerit, ſed quod motus circularis poſſit eſſe ſemper, quia ex Mathematicis non poteſt aliquid efficaciter de motu concludi: volens ſignificare, quod ſi aliàs non repugnaret, nõ probat motus circularis actualitatem extitiſſe ſemper, ſed ſolum poſſibilitatem, ſicut ex eo, quod abſolutè non repugnat ſemper exiſtere à parte poſt, non probatur

batur de facto ſemper exiturum, ſed poſſe ſemper exiſtere.

Hoc totum, quod præſtitit Angelicus Præceptor ad ejus intentum mirificè conducebat; quoniam, ſi Mundus potuit eſſe ab æterno quantum ad ſubſtantiam, & propter multorum Doctorum opinionem ſentientium, potuiſſe eſſe ab æterno, adhùc quo ad ſucceſſiva, rationes, quæ adducuntur in favorem inceptionis in tēpore, non eſt evidens reflexivè, eſſe demoſtrationes, hoc eſt, non eſt evidens, eſſe evidentes demoſtrationes (nos enim ſolum putamus opinativè, eſſe demoſtrationes, cum alii appoſitum opinentur) rectè inferebat, inceptionem Mundi eſſe articulum Fidei; ne habentes firmiorem propheticum ſermoné, innitamur rationibus, quæ certæ non ſunt apud omnes, ſed potiùs vanæ per comparationem ad divinum teſtimonium; & ideò conveniens ei viſum fuit, ut ipſemet habet loco citato contra gentes,

pr-

ponere qualiter obvietur eis per eos, qui æternitatem Mundi poſuerunt. Et quamvis prima parte citata dicat in corpore, Mundum non ſemper fuiſſe ſola Fide tenetur, & demoſtrativè probari non poteſt, ſicut & ſupra de Myſterio Trinitatis dictum eſt: id intelligitur de Mundo quantum ad ſubſtantiam, ut ipſemet exemplificat, ſubdens, undè demonſtrari non poteſt, quod homo, aut Cęlum, aut lapis non ſemper fuit. Hæc fuſiùs pro manifeſtanda mente Angelici Præceptoris afferre libuit, ne tanti viri authoritate contingat, quempiàm moveri, ac in contrariam abire ſententiam.

Solùm hìc reſtat elidere aliquod Complutentium motivum, omiſſis aliis, ſi quæ ſunt, minoris ponderis. Inquiunt namque: à poſteriori rectè arguitur, quia intellectus noſter concipere valet aliquod tempus imaginarium cum ſua inceptione, potuit dari tale tempus verum correſpondere incipiens

cipiens initio, & ſucceſſioni illius temporis imaginarii concepti; quidni ergò, ſi cum fundamento in re concipimus tempus imaginarium infinitum, non potuit dari tempus infinitum correſpondens toti latitudini temporis imaginarii infiniti? Cæterum aliam eſſe rationem de priori, & poſteriori conceptione temporis imaginarii, conſtare poteſt in tempore, quod imaginari poſſumus infinitum à parte poſt, & tamen nunquàm dabile eſt cum reali actuali infinitate, eſto ſemper majus, & majus, ſemper tamen actualiter finitum. Undè quamvis Divina æternitas præbeat fundamentum concipiendi tempus infinitum à parte ante, nunquàm tamen poterit eſſe ſine aliqua inceptione; ſicuti pariter dici ſolet de infinitate omnium poſſibilium, quam ex fundamento Divinæ Omnipotentiæ concipimus: quæque actualitate reali exiſtere nequit. Horum omnium ea videtur

tur eſſe ratio, quia in mentali conceptione tempus imaginariũ, ſivè à parte ante, ſivè à parte poſt non excludit ulteriorem, & ulteriorem acceptionem priorem, vel poſteriorem, aliàs non eſſet acceptio fundata, ſed chimærica; undè conceptibiliter infinitatem quandam ſyncategorematicam ſortitur, quæ nunquàm eſſe potuit abſque aliqua reali finitate inceptionis, ſicut ſyncategorematica infinitas à parte poſt ſine actuali finitate termini præcedentium.

CAPUT 3.

Qua ratione uſurpentur anni in ſacris literis?

ACtualem Mundi inceptionem placuit altiùs exordiri ab illius potentia ad eſſendum abſque ullo durationis principio; putavimuſque aliquibus argumentis adductis pro viribus, ſuadere, pulcher-

cherrimam Univerſi machinam, ut ſucceſſiva complectitur, non aliter, quam in temporum exordio condi potuiſſe; idque ſufficienter ad minus probari diximus ea ſaltem ratione, qua Mundi curſus, rerumque ſeries eſt in præſenti diſpoſita. Ac præterea ſufficit nobis, pluſquàm certum eſſe, potuiſſe Mundum agnoſcere durationis initium; cum Fidei dogma ſit ſacris expreſſum literis, ipſum incepiſſe, adeòque incipere potuiſſe, quia ab actu ſecundo ad primum affirmativè ſubſiſtit illatio. Abſtinemus præterea ab eis argumentis proponendis, quæ contra hujuſmodi potentiam ab Ariſtotile, aliiſque afferuntur Antiquioribus; quibuſque abundè ex inſtituto reſpondet Angelicus tàm 1. p. quæſt. 46., quam ſecundo contra gentes à cap. 32. ad 37., ac tertio de potentia art. 17.; cum certiſſimum ſit, contra firmam Fidei veritatem, ſolubilia ſolum ſophiſmata militare, & verum

vero non adverſari.

Quamobrem innixi præcipuè inconcuſſo, tutoque Divinæ vocis Oraculo inveſtigare conabimur, quod multorum calamum fatigavit, quot anni effluxerint à temporali Mundi conditione ad præſentem diem. Qua in re tàm varia eſſe Authorum placita novi, ut noſter Xiſtus Senenſis lib. 5. bibliothecæ annot. 68. ad illa verba Geneſis 5. vixitque Seth poſtquàm genuit Enos, vigintiſex ſupputationes annorum afferat ab Orbe condito uſque ad felicem Chriſti Nativitatem; itaùt ab earum minima, quæ ultra triummillium ſeptingētorum, & ſeptem annorum numerum non extenditur, uſque ad maximam, ſexmillium ſcilicet nongentorum octoginta quatuor annorum, interſit triummillium ducentorum ſeptuaginta ſeptem annorum differentia. Ortumque duxit præcipuè ex ſeptuaginta Interpretum verſione in quinto capite Geneſis

ſpe-

ſpecialiter depravata circa numerum annorum, quos vixerunt viri illuſtres ab Adam uſque ad Diluvium, quam tamen depravationem Divus Auguſtinus 15. de Civitate cap. 13. exiſtimat, in codicibus Septuaginta accidiſſe vitio eorum, qui primùm de bibliotheca Ptolemæi illos deſcripſerunt. Quia tamen Chronografia Græcorum Patrum ab initio Mundi uſque ad nativitatem Abrahæ ſuperat ſolum in mille ducentis trigintaſex annis ſupputationem Hebraicam, fieri poteſt, quod alius quicunque extet indebitus exceſſus annorum, vel ſubrepſerit ex variatione ſupputationis virorum ſubſequẽtium ad Diluvium uſque ab Abraham, vel aliis de cauſis. Rurſus poſt Xyſtum Senenſem, ſicut non defuerunt à prioribus aliæ differentes ingeniorum conditiones, ità ab aliis Authoribus novæ adductæ fuerunt calculi rationes. Propter quę, & ſimilia mihi operæ pretium viſum fuit,

ſupputationem præcisè texere inſiſtendo verbis Sacræ Scripturæ ſecundùm vulgatam editionem, de qua ampliùs ambigere quoquo modo nefas eſt ex Tridentinæ Synodi ſeſſ. 4. decreto. Et quamvis accidere poſſit aliqualis variatio; eoquod ultimus annus alicujus vitæ, vel eventus fuerit inceptus, & non completus, vel alia ex cauſa: ubi id deprehendere potero ex contextu aliorum locorum Sacræ Scripturæ, aut ex Interpretibus, qui ad manus venerunt, advertere non omittam; ubi verò id præſtare nequibo, libenter ab aliis majori, diligentiorique obſervatione pollentibus, corrigendum relinquo: pro certo, ac præ oculis habendum ducens, exactam omninò temporum, atque ad unguem minutam dierum rationem, haud in hac re poſſe obtineri, ut cum aliis noſter advertit Maluenda lib. 1. de Antichriſto à cap. 3. Attamen ducta ex Sacris literis, eoquod non conſtet de parvo

quo-

quodam exceſſu, vel defectu hujus, vel alterius primi, aut ultimi anni, exiguam ſolum inferre poterit variationem, nec ad centum, vel adhuc ad mille annos deveniet, ut, accidiſſe in aliorum ſupputationibus, paulò ante retulimus.

At ſtatim Mens incipit fluctuare, qua ratione aliquid certi deducere valebimus ex annorum calculo, quibus accidiſſe narrantur in Sacris Bibliis nativitas, hominumque mors, diluvium, & ſimilia, ſi non eſt conſtans apud omnes longitudinis anni menſura? Anni enim, & Menſes multiplici diverſo jure definiebantur à Nationibus, ac ab eadem aliquando tractu temporis mutabantur. Solinus namque ſcribit in poliſt. cap. 1. annum apud Ægyptios quatuor Menſibus terminari (quod de pleriſque Græcis tradit Alex. ab Alex. lib. 3. genialium dierum cap. 24.) apud Arcades tribus: Cares, & Arcananes, ſex Menſibus; alii verò, de quibus meminit Au-

guſtinus 15. de Civitate cap. 13. aſtruebant, unum annum de noſtris conflari quinque, vel ſex, ſivè pluribus de illis. Romulus decem Menſium curriculo definivit annum, quibus Numa Pompilius Januarium, ac Februarium ante Martium, qui erat anni initium, adiecit; quod Ovidius faſtorum primo cecinit: At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras: Menſibus antiquis addidit ille duos. Apud Lavinios verò in Italia ferè tredecim menſibus terminabatur annus. Propter hæc, & ſimilia circa anni fines appoſitè inquit Alex. ab Alex.: de multiplici anno apud pleraſque gentes animadvertimus diſpares differentias, multiformes ſpecies fuiſſe,alioſque alia obſervatione annum metiri; ità ut ſuo quenque ingenio, & prout cuique commodum fuit annum dimenſos inveniamus. Qui etiam omnium omnes varietates, quo ad initia, menſium nomina, ac Numina, quibus

ſa-

ſacrabantur, ad plenam adducit eruditionis ſatietatem. Quis ergò divinaverit in tàm varia uſurpatione quid, & quænàm duratio veniat nomine anni in Sacra Scriptura. Eo vel magis, quod alicui incredibile videri poterit, Adamum, Mathuſalem, alioſque propè mille annos vixiſſe, incomparabilitèr vitam noſtram excedentes.

Cęterum hac in re firmiſſimum habeatur, Sacræ Scripturæ nō eſſe fidei detrahendum; Author enim ejus eſt Deus ipſe, prima veritas, qui, cum omnia poſſit, nec falli, nec fallere valet. Exindè aſſerendum ex communiter recepta regula ab Auguſtino lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10., & 11., illius verba in recta, ac propria rerum ſignificatione capeſſenda, niſi aliquod ſequatur inconveniens. Undè ab illa diſtrahi, vel in dubium verti, non eſt dicendum pro gentium arbitrio, pro multarum nationum diverſa, ac parti-

 culari

culari uſurpatione, prove voluntate nonnunquàm, & judicio imperitæ multitudinis, (ut de anno civili loquebatur Alex. ab Alex.) ſic enim nihil certi ex Sacris literis poſſemus eruere, facta cuilibet facultate ambigendi ſub præfatæ varietatis tutela. Annus verò ex Sancto Iſidoro lib. 5. etymolog. cap.36. eſt Solis anfractus, cum, peractis trecentis ſexaginta quinque diebus, ad eadem loca ſyderum redit. Undè ſivè dicatur ab anulo, eoquod in ſe redeat quaſi anulus: cui alludens Virgilius Georgicorum lib. 2. inquit: Redit agricolis labor, actus in Orbem; Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus; ſivè deducatur a verbo Græco, quod latinè ſonat renovo, propriè accipitur pro eo temporis ſpatio, quo Sol ſuum curſum conficit, ſeù duodecim ſigna Zodiaci perluſtrat; eo enim curſu duodecim menſibus peracto, iterùm renovatur, relabitur, ac in ſui redit initium. Qua de cauſa

ab

ab Ægyptiis ante inventas literas curvo dracone in ſe flexo ſuam caudam mordente, ſignificabatur. Tantum igitur temporis intervallum à Scriptura Sacra uſurpatur, cum utitur nomine anni.

Id verò, ut magis appareat, tali pacto ratiocinamur ex Ægyptiis in medium adductis. Antiquiſſimam fuiſſe eorum peritiam, nulli dubium erit, quando ipſimet Gentiles ex Xenofonte teſtantur apud Annium in Beroſum priùs literas inveniſſe. Cujus Annii ſi ſuſpecta videatur fides, ad minus certum eſt, tempore Moyſis, qui tertio Mundi millenario, & ſi non expleto, floruit, ut infra tradetur; ſcripſitque totum Pentateucum, hoc eſt Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deutoronomium, uſque ad ſui obitum, ad tantæ perfectionis culmen perveniſſe, ut rerum omnium peritiam calluerint. Undè volens Protomartyr Stephanus in actibus Apoſtolorum cap. 7. commendare Moy-

ſis ſapientiam, pro magno illius encomio inquit: eruditus fuit Moyſes in omni ſapientia Ægyptiorum. Amplectabatur autem illorum doctrinæ magnitudo, ultra Naturalem, Divinam, & Moralem, Mathematicam, quæ in Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam, & Muſicam ſecatur. Et quidem, aliis omiſſis ad rem præſentem minimè facientibus, in Aſtronomia, aliàs jucundiſſima, atque ad vitam peragendam fructuoſiſſima, nimis ſupra cæteras nationes proficere potuerunt, ea facilitate ſuffulti; qua ſerenas ſemper habuerint noctes, aſpexerintque tractum Cœli latè patentem, nullis nubibus, nullis nebulis turbatum; ac pervio negotio Ortus, Occaſus, progreſſuſque, regreſſuſque ſyderum animadvertere potuerunt, ac multo magis annualem Solis ambitum per duodecim ſigna Zodiaci obſervaſſe, credendum eſt. Undè *Ægyptios* veram anni Solaris menſuram calluiſſe;
te-

refert Herodotus lib. 2. hiſtoriæ non multo poſt initium; quinimò Græcos ab eiſdem eamdem anni rationem accepiſſe, tradit Strabo lib. 17. Chronologiæ. Idque eruditè ad morem notavit Alex. ab Alex. inquiens, Ægyptios verum annum reperiſſe, atque obſervata ratione Aſtrorum ad Solis curſum diviſiſſe, ſatis conſtat, duodecim menſibus anno aſſignatis, quos triginta dierum numero ſingulos terminarunt. Et ne videantur omiſiſſe integrum numerum trecentorum ſexagintaquinque dierum, circa medium illius capitis 24. addit: Ægyptii verò tricenis diebus, quibus annus claudebatur (hoc eſt ultimo menſe) quinos dies ſingulis annis pro intercalari adiecere; qua de cauſa Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 8. priùs & ipſe protulerat, anni certus modus apud ſolos ſemper Ægyptios fuit: aliarum gentium diſpari numero, pari errore nutabat: viderique poteſt vitæ huma-

næ

næ Theatrum volumine 24. ſub titulo, menſis conſideratio ſimplex, & deductionem anni; ubi & ſex horas pro biſextili ab Ægyptiis nec omiſſas, traditur, & ſi alia ratione uſque ad tempora Diocletiani.

Si igitur comperta apud Ægyptios erat vera ratio anni, ac Moyſes eruditus in omni eorum ſapientia, illam utique ignorare non poterat, eaque proindè eſt uſus, dùm Mundi perduxit hiſtoriam ab illius conditione uſque ad tempora ſua. Addit Picus Mirandulanus lib. 11. in Aſtron. cap. 9. antiquiſſimos Hebræorum diviſiſſe annum in 365. dies, & quartam alterius diei partem; propter quod non deſunt, qui putent, Ægyptios ipſos anni menſuram ab Hebræis didiciſſe, ſicut & Aſtrorum obſervationes teſte Joſeph lib. 1. antiquitatum cap. 16. Et quamquàm in aliquibus utebantur anno Lunari, de quo fortè redibit iterùm ſermo, tertio quoque anno men-

menſem addebant, ut ſalvarent anni Solaris integritatem; eoquod revera eſt maxima temporum mẽſura, qua præcipuè in Mundi rerum hiſtoriis ſeries notitiæ hominum ſubiiciuntur. Meliùs ſubindè cum Genebrardo in fine libri ſecundi, dicemus menſes quidem Hebræorum fuiſſe Lunares, non autem annos, cum ex additione congrua fuerint Solares.

Nunc autem, ſi Moyſes anni vocem in aliquo minùs proprio ſignificaro uſucapere maluiſſet, facili negotio per quandam exceptionem id exprimere potuiſſet, determinando cujus potiùs nationis in tanta varietate morem ſequatnr; ne,quod Deus avertat, præbeat errandi periculum. Exemplum eſt in hebdomadæ vocabulo, quod, quia abſolutè ſumptum denotat ſpatium ſeptem dierum, volens Deus illo uti pro decurſu ſeptem annorum, id explicuit manifeſtè Levit. cap.25., ex quo rectè viſionem Danielis

cap.

cap. 9. pro hebdomadis annorum interpretantur Doctores, ut ſuo loco dicetur; cum ex alio capite veritati congruum non fuiſſet, illas reſtringere ad hebdomadas dierum. At quo loco Scripturæ, annum non accipi pro ſpatio duodecim menſium, aſſeritur? Qua in parte decernitur in tàm vario gentium placito unum potiùs, quam aliud? Quinimò uſurpari annum in ſuo vero ſignificato, facilè erui poteſt ex illo Geneſ. 8. decimo menſe apparuerunt cacumina montium, ubi non dicitur ultimo menſe, ſed potiùs ad nonum menſem expletum adduntur quadraginta dies; & ultra plures alii in tribus emiſſionibus columbæ. Propterea rectè aſſeruit Genebrardus lib. 1. pag. 11.: fruſtra autem dubitatur, an iſti anni fuerunt æquales noſtris, nàm Scriptura nullos alios agnoſcit, & annus Diluvii Geneſ. 7. & 8. dierum fuit 365. Undè primi Paralipomenon cap. 25. ab eodem Spiritu San-

cto, ex cujus directione Canonici Scriptores Sacras literas edideruñt, duodecim menſes diſtinctè percurruntur. Id ipſum tradunt communiter Expoſitores, ut videre eſt in ſylva Allegor., ubi ex Job 3. duodecim menſes anni aſſeritur ſignificare duodecim Apoſtolos; & in appendice de numeris, ſignificantur à duodecim panibus propoſitionis. Quod verò menſes componerentur pluſquàm decem, vel quindecim diebus, ex eodem cap. 8. Geneſ. deducitur verbis illis, ſeptimo menſe vigeſima ſeptima die: & ſecundi Machabæorum cap. 11. in epiſtola Regis Antiochi habetur, his igitur, qui commeant, uſque ad diem trigeſimum menſis Xanthici; qui erat Aprilis apud Macedones, & Græcos.

Non igitur diſſonum videri debet, priores illos homiues tàm longam pertraxiſſe vitam, quando pro breviore aſtruenda ad cõmentum de impropria anni uſurpatione recurſum non habuerunt

Ex.

Expoſitores; Joſephus enim lib. 1. antiquit. explicans illud Geneſis 6. erant dies eorum centum viginti anni, vult, Deum abrogaſſe longævitatem vivendi, quam ante diluvium habuerunt homines; ipſúque ſequitur Lactantius lib. 2. divin. inſtitut. cap. 14. Chryſoſtomus verò homil. 20., & Hieronymus apud Xiſtum Senenſem lib. 5. annot. 75. hanc reſtrinctionem improbant, ac refellunt exemplo multorum, qui poſt diluvium multò plures annos vixerunt, ſicut Abraham, qui ad centeſimum, & ſeptuageſimumquintum annum pervenit; omneſque proindè conveniunt in aſſignanda, ac extendenda vitæ periodo primis illis hominibus. Et quidem Cajetanus cap. 5. Geneſ. pro rato ſupponens veram annorum uſurpationem, habet: cum ætas virilis hominum viventium annos centum, ſit ætas triginta annorum, conſentaneum rationi eſt, ut ætas virilis hominum viventium ferè mille annos,

fue-

fuerit ad minus ſexaginta annorum; & reflectendo infert, quod, ſi annis Adam adiungantur anni, quos naturali curſu prævixiſſet, ut perveniret ad virilem ætatem, qua creatus eſt, apparebit majori ſenio vita functum fuiſſe, quam Mathuſalem.

Profectò, ſi poſterioribus ſæculis legimus, referente Valerio Maximo lib. 8. cap. 13. de Gorgia Leontino centeſimum ſeptimum duxiſſe annum, Argantonium Gaditorum Regem centum viginti annos expleviſſe, vel centum triginta, ut fert Aſinius Pollio; quod Herodotus generatim Æthiopibus tribuit, & Cteſias Indis; Theopompus item tradit, Epimedidem Gnoſium centum quinqnaginta ſeptem annos vixiſſe; quod & Genebrardus lib. 4. pag. 715. ex Alvareſio refert ſibi præterito adhùc ſæculo de quodam Æthiopum sũmo Patriarcha in Regno Presbyteri Joannis; qui vegeto adhùc animo, & corpore annum age-

agebat centeſimum quinquageſimum. Rursùs quoſdam ex genere Epiorum, quæ pars eſt Ætoliæ, ducentos explere annos ait Hellenacius; quod Demaſtes ampliùs firmans addit, Litorium quendam maximarum virium, ſtaturæque præcipuæ trecenteſimum cumulaſſe; Alexander etiam apud eundem Valerium affirmat de quodam Dandone nulla ex parte ſeneſcente, ad quingenteſimum uſque annum proceſiſſe. Denique, ut innumeros alios omittam, eoſque, qui nonniſi ſatietate vitæ obierunt, ſi duo fuerunt Reges maritimi apud Xenophontem, quorum unus vixit annos ſexcentos, alter octingentos, cur brevioribus annis reſtringi debet longævitas generis humani in ſuæ conditionis exordio, quando robuſtioris erat naturæ, ſalubrior aeris influxus, fruges terræ ante aquarum diluvium perfectiores, præcipuè ſi & aliæ acceſſerint Divinæ benevolentiæ cauſæ nobis igno-

ignotæ? Meliùs namque tali potuiſſent modo in notitia, & cultu Dei priores viri ſuos filios promovere; atque ad diſciplinarum, artiumque rationes experimento, ac replicata obſervatione faciliùs pervenire, ut lib. 1. pag. 5. tradit Genebrardus. Addimus demùm, quod aliter cogeremur aſſerere cum præfatis adhùc adiumentis minus vixiſſe, quam recenſiſti poſteriorum ſæculorum, qui multo plures mille annis de illis trium, vel quatuor menſium vixerunt; quod ſanè incongruum eſſe, nullus inficiabitur.

CAPUT 4.

De Diſtinctione ſex priorum dierum.

PRæcedentis capitis tranſacto nunc offendiculo, quod oportuit ſuperare, ad Sacræ Scripturæ limina pervadenda, ut indè totam annorum ſeriem valeamus ordiri, qua in principio creavit Deus

Cæ-

Cælum, & Terram: Geneſ. cap. 1. traditur, ſexto die formaviſſe primum noſtrum parentem Adam de limo terræ, inſpirando in faciem, ejus ſpiraculum vitæ. Philo lib. 1. Allegor. legis ad illa verba Geneſ. 2. complevit Deus die ſeptimo opus ſuum, putavit, diſtinctionem ſex dierum productionis rerum nõ eſſe verè talem, ſolumque ea deſignari perfectionem Univerſi, quæ in perfectione ſenarii ſignificatur. Senarius nàmque, ut inquit Iſidorus lib. 3. etymolog. cap. 4. qui partibus ſuis perfectus eſt, perfectionem Mundi quadam numeri ſui ſignificatione declarat. Ut enim obſervat Macrobius de ſomnio Scipionis lib. 1. ex numeris, qui infrà decem ſunt ſolus ſenarius conſtat ſuis partibus, quatenus unum eſt ſexta ejus pars, duo, tertia ejuſdem pars, tria, medietas; quamvis enim ternarius, ut explicat Divus Thomas ad Hebræos cap. 4. lect. 1. aliquo modo conveniat cum ſenario, quatenus ter

unum,

unum, tria ſunt, & unum, & duo, tria ſunt, tamen bis unum non faciunt tria, aut ſemel duo faciunt tria, ſed tantum duo; in ſenario autem non ſolum ſexies unum ſunt ſex, ſed etiam ter bis, & bis, ter, & unum duo tria, ſunt ſex. Figura etiam triangularis, quæ apprimè eidem numero convenit, omnibus tribus lateribus, & ſingulis refert quodammodo Deum Trinum in perſonis, Mundique Artificem; nàm ejus opera ad extra totius Trinitatis ſunt indiviſa. Ducitur verò Philo ea ratione, qua viciſſitudo, & numerus dierum, ac noctium ſumitur ex motu Solis, qui conditus fuit quarto die; Geneſ. quippè cap. 1. habetur: dixit autem Deus, fiant Luminaria in Firmamento Cęli, & dividant diem, ac noctem, & ſint ſigna in tempora, & dies, & annos, & ſubditur poſt pauca, factum eſt veſpere, & mane dies quartus; undè non poterant ante Solem præcedere veri dies. Sentitque ſubindè,

ſex dies in proprietate accipere, ruſticanæ ſimplicitatis eſſe.

Ejus tamen motivum non urget, illudque benè diſſolvit Angelicus 1. parte quæſt.67. art.4. ad 3. inquiens: duplex eſt motus in Cęlo, unus communis toti Cęlo, qui facit diem, & noctem, & iſte videtur inſtitutus primo die (per lucem quandam informem in ſubſtantia Solis, ut Idem tradit ad ſecundum) alius autem eſt, qui diverſificatur per diverſa corpora, ſecundum quos motus fit diverſitas dierum ad invicem, & menſium, & annorum; & ideò in prima die fit mentio de ſola diſtinctione noctis, & diei, quæ fit per motum communem, in quarta autem die fit mentio de diverſitate dierum, & temporum, & annorum, cum dicitur, ut ſit in tempora, & dies, & annos, quæ quidem diverſitas fit per motus proprios. Quamquàm igitur ſub quadam informitate, ac confuſione creatus fuerit Mundus, quæ duratione

præ-

præceſſerit productionem, & diſtinctionem lucis, undè dicitur, tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; incertumque fuerit apud Authores, quanta duratione præjerint lucem, an ſolum per inſtans, ut vult Pater Suarez, an ſolum per ſex, aut duodecim horas, ut opinantur alii, viderique poteſt noſter Joannes de S. Thoma, non præceſſerunt tamen per integrum diem; ipſo nàmque primo die creata lux fuit, cum factum fuerit veſpere, & mane dies unus. Quarta autem die propriis Luminarium motibus inducta fuit, incepitque diverſitas dierum, menſium, ac temporum invicem. Non ergò ruſticanæ ſimplicitatis eſt, quod ſenſerunt doctiſſimi Patres, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, aliique communiùs, Mundi ſcilicet conditionem in ſex dierum ſpatio ſecare.

Alia tamen via procedit Divus Auguſtinus à D. Thoma relatus 1. parte quæſt. 74. art. 2., priorem

ſequens ſententiam. Aſſerit namque, dies, qui ponuntur ſeptem, eſſe unum diem ſeptempliciter acceptum, quatenus lux, quæ eſt cauſa diei, verè, & propriè in ſpiritualibus, ſeù Angelicis cognitionibus invenitur, ſaltem per quandam extenſionem, quatenus nomen lucis inſtitutum ad ſignificandum id, quod facit manifeſtationem in ſenſu viſus, extenſum eſt ad ſignificandum omne illud, quod facit manifeſtationem ſecundum quamcunque cognitionem, ſicut nomen viſionis primò impoſitum propter dignitatem, & certitudinem ſenſus viſus ad ſignificandum ejus actum, extenſum eſt ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum, imò & intellectus, juxtà illud Matthæi 5. beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, ut benè idem explicat D. Thomas quæſt. 67. art. 1. Et hac ratione, ſi Angelica cognitio dies verè nuncupari poteſt, fit, quod eadem cognitio primi divini operis, fuerit

pri-

primus dies: cognitio ſecundi operis, fuerit ſecundus dies, & ſic de reliquis; eoquod totum, quod produxit Deus, impreſſit Angelicæ cognitioni, quæ quidem multa attingere ſimul valet. Undè ſufficit, quod ſecundùm ea opera diſtinguatur dies cum ſolo ordine naturæ abſque reali diſtinctione ſucceſſionis rerum. Doctor Angelicus neutri opinioni, tàm ſcilicet D. Auguſtini, quam aliorum Sanctorum Patrum præjudicium inferendum eſſe cenſet, nec diſſonas proindè eas reputat; propterea argumenta contra eas adducta diſſolvit.

Cuipiam videbitur, ſecundum Auguſtini ſententiam annos Adæ non excedi à parte ante à rerum productione; ſiquidem ſex dies non diſtinguntur ſecundùm realem temporis ſucceſſionem, ſed ſolum ſecundum ordinem naturæ modo jàm adducto. Verùm pro recta hujus rei intelligentia advertendum duxi, quod alii Patres

per Cęlum, Terram, ac elementa in prima rerum inſtitutione producta, intelligunt tota ſubſtantialia ſub propriis formis exiſtentia, quibus acceſſit aliqua major formoſitas, & diſtinctio in propriis quatuor diebus. At verò D. Auguſtinus intelligit materiam totaliter informem; cumquè non potuerit realiter ſic eſſe, idcircò dies non plurificantur niſi per reſpectum ad Angelicam cognitionem. Ea verò, quæ in Scriptura narrantur producta in quinto, & ſexto die, ut fuere reptilia, volatilia, piſces, animalia, & beſtiæ terræ, tradunt quidem alii Sancti Patres, ſolum in virtute fuiſſe producta in prima rerum creatione, convenientes in hoc cum D. Auguſtino; attamen volunt verè, & cum reali diſtinctione dierum fuiſſe in actu producta in quinto, & ſexto die, ſecus verò D. Auguſtinus, qui in operibus ſex dierum, qui ſunt unus realiter dies, tradit hæc virtualiter fuiſſe condita, & poſtea

actu

actu facta ſunt, ut notavit etiam Cajetanus quæſt. 74. art. 2. in Commentario. De primo ſimiliter homine venit eodem modo dicendum, poſt Cęlum, & Elementorum creationem fuiſſe productum.

Abs re non erit id radicitùs, ſed breviùs, quo valeam, inveſtigandum. Angelos fuiſſe ſimul creatos cum mundo corporeo, plures ſentiunt Latini Patres cum D. Aguſtino, communiterq; Scholaſtici cum D. Thoma 1. parte qu. 61. art. 3. & 3. de potentia art. 18. Angeli enim ſunt partes univerſi, ad cujus conſtitutionem ſimul cum creatura corporea conveniũt, quod apparet ex ordine unius creaturæ ad aliam, ne videantur omninò alieni ab ordine creaturæ corporalis, quaſi aliud Univerſum per ſe conſtituentes. Ut partes autem ſunt Univerſi, competit eis, ut ſimul fuerint cum eo conditi, tàm ex ratione totius Univerſi, cujus bonum præeminet bono cujuſlibet partis, nec bonitatem eſ-

ſendi habere debet poſteriorem adeſſe cujuslibet partis, eo vel magis, quod unius totius una videtur eſſe productio: quam ex capite ipſorum, quia non fuiſſent aliter perfecto modo producti, cum nulla pars perfecta ſit à ſuo toto ſeparata; Dei autem perfecta ſunt opera, Deùtoronomii cap. 32. Extatque inſuper Decretalis Lateranēſis cap. firmiter aſſerentis, Deum ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem, & corpoream, Angelicam, & mundanam. Oppoſitum tamen olim tradiderũt Græci Patres, Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, ac Damaſcenus, & omnium primus Origenes homil. 4. in Eſaiam; ex Latinis etiam Xiſtus Senenſis lib. 5. annot. 5. refert Hieronymum, Ambroſium, alioſque fatentes, Angelos diſtincta ab actione corporum ante Mundum viſibilem creatos, quem multa duratione media præceſſerant, ut teſtatur tertio de potentia art.

cit.

cit. ad 10. D. Thomas. Quamquàm autem hujuſmodi ſententia nõ ſit error in Fide propter authoritatẽ Damaſceni, ut inquit D. Thomas, cujus tanta eſt in doctrina Chriſtiana authoritas, ut nullus unquàm ejus dictis calumniam inferre præſumpſerit; et etiam quia Lateranenſe directè proſcribere intendebat Ariſtotelis, & Origenis errores, quorum prior, res omnes fuiſſe ab æterno poſuit, ſaltem topicè, cum hoc demonſtrare nunquàm intenderit, ut habet Sanctus Doctor in 2. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 5. Alter, creaturas ſolum ſpirituales tradidit per ſe productas, corpora verò propter earum demerita, quaſi vincula, quibus alligarentur, ut in illius Decretalis expoſitione obſervat idem Angelicus opuſc. 23. circa medium. Attamen, quia Lateranenſe abſolutè, quacunque id fuerit occaſione, protulit, Angelos ſimul cum creatura corporea fuiſſe creatos, id magnam adeptum

eſt firmitatem; ut noſtris temporibus tutò ſuſtineri non poſſit, Angelos ante Mundum viſibilem initium habuiſſe.

Præcipuum motivum Græcorum erat, quia Moyſes, exactè rerum omnium creationem deſcribens, de Angelis etiam mentionem feciſſet, ſi creati fuiſſent ſimul cum corporea creatura. Verùm Angelorum narratus, ſivè ante Mundum corporeum fuerit, ſivè non, & tradi poterat, utpotè pertinens ſaltem motivè ad ipſum, & poterat prætermitti; nec pendens erat, aut exigebatur neceſſariò à concomitantia productionis rerum corporalium, quas fortè ſolum deſcribere intendebat Moyſes. Undè Chryſoſtomus, quamvis ſentiat, Angelos creatos antecedenter ad corpora, prætermiſſæ narrationis aliam aſſignat cauſam, quæ locum habere poteſt adhùc in Latinorum vera ſententia: ne, ſcilicet populus rudis, qui nihil niſi corporalia poterat capere, ido-

idololatriæ ſumeret occaſionem, ſi propoſitæ ei fuiſſent aliquæ ſubſtantiæ ſupra omnes corporeas creaturas, ut 1. parte quæſt. 67. art. 4. refert Angelicus, quod & tradidit opuſc. 15. cap. 17. Præterea Moyſem meminiſſe, quamvis non ità expreſsè, de Angelis verbis illis, in principio creavit Deus Cęlum, & Terram, tanquàm quid contentum in Cęlo, tradunt Doctores; cum ſtatim ſubdatur, terra erat inanis, & vacua, quod de Cęlo non dicitur, quia fuit creatum plenum Angelis, ut initio Exameron ponderat Beda. At D. Auguſtinus ulterius procedens, affirmat, per Cęlum ipſum ſpiritualem creaturam fuiſſe ſpecificatam, informem tamen, & formatam fuiſſe in productione lucis; &, cum pariter per terram intelligat materiam informem omnis corporeæ creaturæ ab initio productæ, tradit, lucem prima die dici productam, utpotè correſpondens formationi dignioris creaturæ

ſcilicet Angelicæ. Simili ergò modo poſuit, ut refert D. Thomas 1. parte quæſt. 90. art. 4. Animam primi hominis ante corpus cum Angelis fuiſſe creatam, non ea ratione, qua erravit Origenes, univerſaliter id tradendo de Animabus omnium hominum, quaſi ſecũdum naturæ conditionem æqualibus Angelis, ſoloque demerito ad corpora deſtinari, quod jàm diximus, in Lateranenſi damnatum, & evertitur penitùs à D. Thoma, tàm 1. p. qu. 118. art. 3. quàm pluribus rationibus 2. contra gentes cap. 83. & 3. de potentia art. 10.: Sed quia corpus primi hominis in operibus ſex dierum non fuit productum in actu, ſed ſolum ſecundum cauſales rationes, quod non poteſt de Anima dici, quia nec ex aliqua materia corporali, aut ſpirituali præexiſtente facta fuit; nec ex aliqua virtute creata produci potuit; & ideò videtur, ſimul cum Angelis in operibus ſex dierum fuiſſe creatam,

tam, & poſtmodùm propria voluntate inclinatam ad corpus adminiſtrandum. Verùm id aſſerendo non dicit tantus Eccleſiæ Doctor, ſed ſi nulla Scripturarum authoritas, ſeù veritatis ratio contradicit. Et quidem nullatenus tolerari debet: quia Anima, cum ſit vera forma ſubſtantialis intrinſeca corporis, non habet ſuam totam naturalem perfectionem, niſi ut illi unita. Cum ergò Deus primas res inſtituerit in perfecto ſtatu ſuæ naturæ, ſecundum quod uniuſcujuſque ſpecies exigebat, Anima primi hominis non niſi in corpore creari debebat. Undè ſuſtinendo ejuſdem D. Auguſtini opinionem de unitate ſex dierum, dici poteſt cum Angelico, Animam Adami in operibus ſex dierum præceſſiſſe ſecundum quandam ſimilitudinem generis in natura intellectuali Angelorum, qui fuerunt in illis diebus creati; & poſt productionem operum ſex dierum ſimul cum corpore, & in

corpore de limo terræ formato, fuerit creata, eidemque copulata. Sed quid tàm brevis diſtantia ſuæ creationis à Mundi conditione, etiam ſi eſſet diſtantia ſextæ diei ſecundùm alios Sanctos Patres officere poterit hiſtoricæ calculationi multorum annorum, & ſæculorum, à quibus durare inceperit Mundus; cum parvum reſpectu magni pro nihilo reputetur?

CAPUT 5.

Ab Adam incipit protrahi Chronografia.

IN Mundo, qui magnus quidam eſt homo, ad hominis ſimilitudinem, qui parvus eſt Mundus, plures ætates diſtinxerunt Authores, non quidem quantum ad ſubſtantiam, ſecundum quam in perpetuum durabit, ſed quantum ad ſtatum, ſecundum quem antiquari, & ſuo modo ſeneſcere valet. Variant tamen non ſolum in numero,

mero, ſed in temporis diſtributione, cui affiguntur ætates. Veteres namque Græci primam Mundi ætatem conſtituerunt ab Adam uſque ad Noe, ſecundam à Noe uſque ad Abraham perduxerunt, tertiam ad Moyſem, quartam ad Babylonicam captivitatem, quintam ad Chriſtum, ſextam ad diem Judicii. At verò Genebrardus lib. 1. pag. 1. convenit quidem cum præcedente diſtributione in 1. & 2. ætate, ſed tertiam ducit ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto, quartam ad jacta Templi Fundamenta, quintam ad captivitatem Babylonicam, ſextam ad Chriſtum patientem; additque à Chriſto patiente ſeptimam uſque ad finem Mundi. Etenim hujuſmodi ætates correſpondere ponuntur numero ſex dierum creationis Mundi, quibus tranſactis requievit Deus die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat; ideòque ſi per Chriſtum requiem jàm invenit, atque pace perfruitur Eccleſia, à Chriſto ad

djem

diem Judicii ſeptima currit ætas ſupponens ſextam ante Chriſtum jàm præteritam.

Verùm in hac re, quam in congruentiis ſolum innixam cenſemus, præſtat nobis diſtributionem ſequi D. Auguſtini lib. de Geneſi contra Manichæos, & quia eadem utitur D. Thomas in quarto diſtinct. 40. in fine, inſerendo ſingulis ætatibus convenientiæ quædam verba, meas partes egiſſe putabo, ſi in medium ejuſdem authoritatem adduxero. Inquit ergò: In homine prima ætas dicitur infantia uſque ad ſeptimum annum: ſecunda, pueritia uſque ad quartumdecimum: tertia, adoleſcentia uſque ad viceſimumquintùm, quæ tres ætates computantur quandoque pro una: quarta eſt juventus, uſque ad quinquaginta annos: quinta verò ætas eſt ſenectus uſque ad ſeptuaginta: ſexta, ſenium uſque in finem. Et ſimiliter in Mundo dicitur prima ætas ab Adam uſque ad Noe, in qua fuit

hu-

humani generis inſtitutio, & lapſus: ſecunda, à Noe uſque ad Abraham, in qua fuit humani generis deſtructio per diluvium, & renovatio: tertia, ab Abraham uſque ad David, in qua fuit Circuncisionis, & Legis inſtitutio: quarta, à David uſque ad Tranſmigrationem Babylonis, in qua lex floruit ſub Regibus, & Prophetis: quinta, à Tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, in qua fuit populi captivatio, & liberatio: ſexta à Chriſto uſque ad finem, in qua eſt humani Generis Redemptio.

Neque verò, ut de numero ætatum ſubjiciam aliquid, à Chriſti Domini paſſione in pace ſemper requievit Eccleſia, varias Tyrannorum ſuſtinens perſecutiones, à quibus cum innumeris hæreſum monſtris ad dimicandum tranſivit acerbiùs; expectatque omnium ſæviſſimam Antichriſti perſecutionem in fine temporum per tres annos cum dimidio duraturam: quam

quam undecimam nominant aliqui, cenſentes, Eccleſiam ad Maximinianum uſque decem eſſe paſſam perſecutiones per alluſionem ad tres plagas, de quibus Apocalypſis cap. 9. & alias ſeptem noviſſimas cap. 15. & 21. Addimus, quod inter pelagi fluctuantis hujus ſæculi tempeſtates, furenteſque nimbos, atque procellas, in laborando remigantes, perfectam requiem, tranquillamque firmitudinis pacem conſequi non valemus, quouſque appellamus portum, & perveniamus ad Cęleſtem Patriam claritatis æternæ. Quia tamen humani generis Redemptione jàm poſita, interiori quodam gaudio perfundimur, atque ſpiritualem requiem à Chriſto nobis allatam, in antiquæ Legis Sabbato præfiguratam, docet Paulus ad Hebræos cap. 4.; ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unum, ut ad Epheſios cap. 20. dicitur, undè in ejus nativitate pacem Angeli annunciaverunt hominibus,

bus, & Joannis cap. 14.; pacem ſuam ipſe dedit, atque reliquit Apoſtolis. Ideò cenſemus nunc currere ſimul ſextæ, & ſeptimæ ætatis tempus, reſpondens ſextæ, & ſeptimæ ſimul diei. Quod, & docuit D. Thomas ſuper Pſalmum ſextum in principio dicens: A Chriſto uſque ad finem Mundi currunt ſimul ſexta, & ſeptima ætas, ſcilicet quieſcentium, & laborantium, & poſt has erit octava ætas reſurgentium; quod ultimum tradit etiam 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 1. per Circuncifionem, inquiens, figurabatur ablatio corruptionis fienda per Chriſtum, quæ perfectè complebitur in octava ætate, quæ eſt ætas reſurgentium. Hæc dixerim pro hujus rei notitiâ non prætermittenda, non quod arctari velimus ad ſubſequentia capita dividenda juxta ætatum diviſionem; materierum enim diſcretio, ac longitudo aliter poſtulabit.

Per inceptam ergò ſemitam

Di-

Divini Numinis lumine coruſcante pergamus, & invenimus cap. 5. Geneſ. v. 5. dictum: factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt. Quo fit, mortuum eſſe anno à creatione Mundi nongenteſimo triceſimo.

Occaſione-ſumpta, omittere hìc nolui, fuiſſe conſtantem Hebræorum traditionem, in terra Iſrael Adam fuiſſe ſepultum propè agrũ Damaſcenum, ubi fuerat procreatus, ut ex R. Iſaac fert Genebrardus lib. 1. pag. 16. At Origenes, Epiphanius, Athanaſius, Ciprianus, aliique Patres relati à Xiſto Senenſi lib. 6. annot. 122. putant, ibi ſepultum fuiſſe, ubi crucifixus eſt Chriſtus, ut ſic reſpondeat remedium medicinæ cauſæ morbi; ac propterea tradunt, vocari locum illum Calvariæ. D. Hieronymus, quem ſequitur D. Thomas 3. p. quæſt. 46. art. 10. ad 3., de hujuſmodi placito diſſerens inquit: Favorabilis interpretatio, & mul-

cens

cens aurem populi, nec tamen vera; extra Urbem enim, & foras portam loca ſunt, in quibus truncantur capita damnatorũ, & Calvariæ, ideſt decollatorum ſumpſere nomen. Propterea autem ibi crucifixus eſt Jeſus, ubi priùs erat area damnatorum, ut ibi erigerentur vexilla martyrii. Adam verò ſepultum juxtà Hebron, & Arbee in Jeſu Filii Nave volumine legibus. Magis autem Jeſus crucifigẽdus erat in loco communi damnatorum, quam juxtà ſepulcrum Adæ, ut oſtenderetur, quod Crux Chriſti non ſolum erat in remedium contra peccatum perſonale ipſius Adæ, ſed etiam contra peccatum totius Mundi. In re tàm incerta, ac utraque ex parte probabili ſufficit nobis ſenſum, congruentemque protuliſſe rationem Principis Theologorum, ſuperfluum autumantes repetere, quæ cap. 54. & 55. lib. de Paradiſo fusè tradit Maluenda.

Anni obitus Adæ jàm recenſiti non

non conducunt ad Mundi Chronografiam, & idcircò foras non extrahuntur, ut fiet in omnibus illis, ex quibus ducitur ſeries. Progrediendo nunc, eodem cap. 5. Geneſ. verſ. 3. dicitur. vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & vocavit nomen ejus Seth. In editione ſeptuaginta pro centum triginta legitur, ducentis triginta; & ad non protrahendum totam Adæ vitam ultra nongentos triginta annos, ubi nos legimus: facti ſunt dies Adam, poſtquàm genuit Seth, octingenti anni, dicitur, Adam ſupervixiſſe ad generationem Seth ſeptingentis annis; Adeòut hujuſmodi error, ut habet Auguſtinus 15. de Civitate cap. 13. conſtantiam quandam, ſi dici poteſt, videatur habere in prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima generatione. Verùm notabilem hæc depravatio in temporum menſura, quam trahimus ex

ge-

generatione Seth, induceret varietatem. Nos autem profitemur, vulgatam ſequi editionem, de qua neſas eſt ultra ambigere; & ſi contra illam aliqua inſtentur argumenta, rem ſubiectam tangentia, eis ſatisfacere conabimur, pro ejuſdem intacta veritate tuenda. Natus eſt ergò Seth anno Mundi centeſimo triceſimo. Seth. nativitas 130

At cum facti ſint omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, ut verſ. 8. præfati capitis habetur, ſit mortuum eſſe anno Mundi milleſimo quadrageſimo ſecundo. Cum autem eſſet Seth centum quinque annorum genuerat Enos, ut verſ. 6. ejuſdem capitis traditur; & cum ipſum Seth natum dixerimus anno Mundi centeſimo triceſimo, Enos natus eſt anno Mundi ducenteſimo triceſimo quinto. Enos nativitas 235

Vixit Enos nongentis quinque annis ex eodem cap. 5. v. 11., qui ſi addantur annis Mundi 235. ſuę nativitatis, ſit, mortuum eſſe

anno

non conducunt ad Mundi Chronografiam, & idcircò foras non extrahuntur, ut fiet in omnibus illis, ex quibus ducitur ſeries. Progrediendo nunc, eodem cap. 5. Geneſ. verſ. 3. dicitur. vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & vocavit nomen ejus Seth. In editione ſeptuaginta pro centum triginta legitur, ducentis triginta; & ad non protrahendum totam Adæ vitam ultra nongentos triginta annos, ubi nos legimus: facti ſunt dies Adam, poſtquàm genuit Seth, octingenti anni, dicitur, Adam ſupervixiſſe ad generationem Seth ſeptingentis annis; Adeòut hujuſmodi error, ut habet Auguſtinus 15. de Civitate cap. 13. conſtantiam quandam, ſi dici poteſt, videatur habere in prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, & ſeptima generatione. Verùm notabilem hæc depravatio in temporum menſura, quam trahimus ex ge-

generatione Seth, induceret varietatem. Nos autem profitemur, vulgatam ſequi editionem, de qua nefas eſt ultra ambigere; & ſi contra illam aliqua inſtentur argumenta, rem ſubiectam tangentia, eis ſatisfacere conabimur, pro ejuſdem intacta veritate tuenda. Natus eſt ergò Seth anno Mundi centeſimo triceſimo. Seth. nativitas 130

At cum facti ſint omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, ut verſ. 8. præfati capitis habetur, fit mortuum eſſe anno Mundi milleſimo quadrageſimo ſecundo. Cum autem eſſet Seth centum quinque annorum genuerat Enos, ut verſ. 6. ejuſdem capitis traditur; & cum ipſum Seth natum dixerimus anno Mundi centeſimo triceſimo, Enos natus eſt anno Mundi ducenteſimo triceſimo quinto. Enos nativitas 235

Vixit Enos nongentis quinque annis ex eodem cap. 5. v. 11., qui ſi addantur annis Mundi 235. ſuę nativitatis, fit, mortuum eſſe

anno

anno Mundi milleſimo centeſimo quadrageſimo. Vixerat autem nonaginta annis, & genuit Cainan ex verſ.9.ejuſdem cap., qui, ſi addantur ducentis triginta quinque annis ætatis Mundi, in qua ipſum natum aſſeruimus, fit Cainan natum eſſe anno Mundi trecenteſimo viceſimo quinto.

Cainan nativitas 325

Si hujuſmodi tercentum viginti quinque annis accedant nongenti alii decem anni ſuæ vitæ ex verſ.14.ejuſdem 5.capitis, fit mortuum eſſe Cainan anno Mundi milleſimo ducentiſimo triceſimo quinto. Poſt ejus ortum anno 325. vixit ſeptuaginta annis, & genuit Malaeel, ibidem verſ.12. habetur; quo fit, Malaleel natum eſſe anno Mundi trecenteſimo nonageſimo quinto.

Malaleel nativitas 395.

Quibus 395. annis ſi adjicias octingentos nonaginta quinque annos, quos Malaleel vixit, ut verſ. 13.traditur, fiet, mortuum eſſe anno Mundi milleſimo ducenteſimo nonageſimo. Vixerat autem ſexaginta

ginta quinque annos à nativitate, & genuit Jared, ut verſ. 15. cap. 5. traditur. Jared igitur natus eſt anno Mundi quadringenteſimo ſexageſimo. Cum autem vixerit nongentos ſexaginta duos annos, ex ejuſdem loci verſ. 20. fit objiiſſe anno Mundi milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſecundo. Natus verò anno Mundi 460. ut jàm vidimus, centum ſexaginta duos annos natus, genuit Henoch ex verſ. 18., Henoch igitur natus eſt anno Mundi ſexcenteſimò viceſimo ſecundo.

Jared nativitas 460

Henoch nativitas 622.

Subdit verò Moyſes: facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus; quo fit, translatum fuiſſe anno Mundi nongenteſimo octogeſimo ſeptimo. At quia eum diximus, natum annis 622. quibus ſi addantur ſexaginta quinque anni, quando a ſua nativitate genuit Mathuſalem, ut traditur ibidem, exurgit nu-

numerus ſexcenteſimus octogeſimus ſeptimus, ſit Mathuſalem hoc Mundi anno natum fuiſſe.

Mathuſalem nativitas 687

Ne levi prætereamus veſtigio verba illa, tulit eum Deus: quidam Judæi ea interpratantur, ut idem ſint, ac mortuus eſt, ante ſcilicet tempus, ne malitia mutaret cor ejus, eo prorsùs pacto, quo Job cap. 32. dicitur: neſcio enim quamdiù ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me Factor meus. Oppoſitum rectiùs ſentiunt Chryſoſtomus, & Theodoretus tradentes quidem, non eſſe curioſiùs inveſtigandum, quò translatus fuerit Henoch, & nùm uſque ad præſens vivat, & quò modo nunc agat, credendum tamen, quod Deus eum viventem transtulerit, & quod mortem non ſit expertus; quod & Paulus ad Hebræos 11. teſtatur inquiens: Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Auguſtinus verò lib. 9. Geneſ., & lib. 1. de peccato-

rum

rum meritis, quamquàm neget, Henoch translatum ad immortalitatem corporis, quæ in reſurrectione promittitur, velitque, rediturum ad hanc vitam, & moriturum, profitetur tamen adhùc vivere, ac ſine cibo ſuſtentari à Deo, ſicut Elias quadraginta dies ſine cibo vixit; aut, ſi cibo opus habet, in Paradiſo fortaſſe paſci de ligno vitæ. Ireneus etiam abſolutè docuit lib. 5. adverſ. hæreſes Valentini, eum una cum Elia vivere in Paradiſo, in quo fuerat à Deo poſitus Adam. Hujuſmodi translationis congruitatem affert Petrus Comeſtor cap. 30., eo quia ſicut in generatione Cain ſeptimus ab Adam, ſcilicet Lamech, qui primus bigamiam, duos uxores ſimul accipiendo, induxit, fuit peſſimus: ità in generatione Seth ſeptimus ab Adam Henoch fuit optimus; ideòque, ut in fine temporum cum Elia convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ut Malachiæ 4. di-

citur de Elia, tranſtulit eum Deus. Quod ſanè denotari videtur Eccleſiaſtici 44. verbis illis Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam. Hoc teſtimonium ſicut accipi nequit pro quolibet alio horto amœnitate, ac voluptate referto; ſiquidem vox Paradiſi abſolutè prolata, vel Cęleſtem noſtram denotat Patriam, vel terreſtrem illum primitùs datum Parentibus locum: itá nefas eſt intelligere de Cæleſti Paradiſo, ut inquit Xiſtus Senenſis lib. 5. annot. 36.; quoniam non convenit, ut quis indè deſcendat ad prædicandum pœnitentiam. Videri poteſt nedùm D.Thomas 1.p. qu. 102. art. 2. ad 3., & 3.p. qu. 49. art. 5. ad 2. inquiens: Elias ſublevatus eſt in Cęlum aereum, non autem in Cęlum Empyreum, qui locus eſt Sanctorum, & ſimiliter etiam Henoch raptus eſt ad Paradiſum Terreſtrem, ubi cum Elia ſimul creditur vivere uſque ad adventum Anti-

chriſti;

chriſti; ſed etiam noſter Maluenda eruditiſſimè de his diſſerens lib. de Paradiſo voluptatis cap. 87. & ſequentibus. An autem viderit Divinam eſſentiam, nondùm conſtat ſecundum Gregorium Nazianzenum ſecundo lib. de Theologia. Et revera, ſi nondùm eſt aſſecutus in corpore immortalitatis decorem, ut recenſuimus ex D. Auguſtino, iterùm apud nos rediturus, & moriturus, proprium, & ſingulare, aſſerendum videtur Domini noſtri Jeſu Chriſti, nemini extendendum, quod in corpore paſſibili, & mortali clara Divinitatis frueretur præſentia; erat quippè comprehenſor ſimul, & viator, ut noſtræ locus daretur Redemptioni.

Cum autem vixerit Mathuſalem filius Henoch nongentis ſexaginta novem annis, ut eodem capite verſ. 27. dicitur, ſi natus eſt anno Mundi 687., ſequitur obiiſſe anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto. Vi-

xerat autem centum octoginta ſeptem annis, & genuit Lamech, ut verſ. 25. dicitur, qui ſupra eoſdem annos Mundi 687. conflant octingentos ſeptuaginta quatuor annos in quorum ultimo natus eſt Lamech.

Lamech nativitas 874.

Porrò hìc non eſt omittendum, ſequi ex Septuaginta depravata vitio ſcribentium ſupputatione, quod Mathuſalem vixiſſet quatuordecim annos poſt Diluvium, ut notat Petrus Comeſtor cap. 30., & ex Hieronymo refert Xiſtus Senenſis lib. 5. annot. 68., vel ut alii volunt viginti annos. Nàm ſi Mathuſalem genuit Lamech, cum eſſet centum ſexaginta ſeptem annorum juxtà Septuaginta, & Lamech in centeſimo octogeſimo ſecundo anno ſuæ vitæ genuit Noe, in cujus ſexcenteſimo anno accidit Diluvium, ut infrà, ſanè convincitur, accidiſſe anno 949. vitæ Mathuſalem, adeòque viginti annis ante mortem ipſius, qui vixit 969. annos. Quod in ſupputatione,

ne, quam nos ponimus Mathuſalem, dùm eſſet centum octoginta septem annorum, genuiſſe Lamech, locum non habet, ut facilè conſtabit conſideranti. Mathuſalem autem ſuperſtitem fuiſſe Diluvio, nemo inficiabitur, inconveniens eſſe; cum octo tantum animas fuiſſe in arca ſervatas in primæ Petri cap. 3. habeamus: inter quas non connumeratur Mathuſalem Geneſ. 6., ſed Noe cum uxore, ac tribus ejus filiis, eorumq; uxoribus; neque legitur de eodem, ut Henoch fuiſſe translatum. Quamquàm autem aliqui apud Comeſtorem voluerunt, obiiſſe ſex annis ante Diluvium, veriùs Hieronymus aſſerit, eodem anno, quo mortuus eſt, Diluvium irruiſſe; quod quidem, ut paulò poſt videbimus, accidit in ſecundo menſe anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti, quo diximus vita functum eſſe Mathuſalem. An autem ipſo Diluvio perierit, an paulò antè, quamvis

Scriptura non explicitè narret, inſinuare tamen videtur, ut benè tradit Cajetanus, quod parum ante mortuus fuerit (ſeptem ſcilicet diebus, ut ex R. Selo refert Genebrardus lib. 1. pag. 15.) dicendo de ipſo, mortuus eſt, antequàm aliquid dicat de Diluvio. Rationi quoque conſentaneum eſt, ut Noe neglectæ pietatis erga Avum ſalvandum non arguatur.

Nunc redeamus. Facti ſunt omnes dies Lamech ſeptingenti ſeptuaginta ſeptem anni, & mortuus eſt, ut habetur in fine ejuſdem quinti capitis. Si ergò natus eſt anno Mundi 874, fit, ejus mortem accidiſſe anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo. Vixerat verò centum octoginta duobus annis, & genuit filium, vocavitque nomen ejus Noe, ut cap. ſæpius adducto traditur: qui, ſi addantur 874. annis Mundi nativitatis Lamech, fiet, Noe natum eſſe anno Mundi milleſimo quinquageſimo ſexto.

Noe nativ. 1056.

Qui

Qui cum vixerit nongentis quinquaginta annis, & mortuus eſt, ut dicitur Geneſ. cap. 9. in fine fit, obiiſſe anno Mundi bis milleſimo ſexto.

CAPUT 6.

A Diluvio proceditur uſque ad Abraham.

SEd jàm ſecundam Mundi ingredimur ætatem, cujus anno milleſimo quinquageſimo ſexto, quo natus eſt Noe, ſi adiicias ſexcentcs annos ætatis Noe, ſeù potius ſeptimum decimum diem ſecundi menſis ſexcenteſimi ejuſdem anni, à quo die inundatio facta eſt quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut cap. 7. verſ. 11. dicitur: ſeù etiam ipſum annum ſexcenteſimum expletum, a quo ſequenti die anni ſexcenteſimi primi imminutæ ſunt aquæ, viditque Noe, aperiens tectum Arcæ, quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ, ut dicitur Geneſ. cap. 8.

verſ. 13., invenies, quod ſeptima decima die ſecundi menſis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti cœperit Diluvium, ejuſque calamitas ceſſaverit eodem anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto expleto. Cũ quo benè concordat, quod Noe vixerit poſt Diluvium trecentis quinquaginta annis, Geneſ. cap. 9. verſ. 28. qui ſi addantur annis 1656. conflant ſummam annorum Mundi 2006., quo tempore in fine præcedentis capitis diximus vita functum fuiſſe ea ratione, qua vixit 950. ſupra annos Mundi 1056., in quorum poſtremò nàtus erat.

Dilu-
vium
1656.

Diluvium ceſſavit anno Mundi 1656. expleto; cum autem Sem filius Noe eſſet centum annorum biennio poſt Diluvium, Geneſ. cap. 11. verſ. 10., fit natum eſſe anno Mundi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo, dùm Noe, quem natum diximus anno Mundi 1056, ageret annum quin-

gen-

genteſimum tertium . Quamvis enim Geneſ.cap.5. in fine dicatur: Noe verò, cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cam, & Japhet; ubi ad minus ſignificari videtur, quod quingenteſimo anno cœperit generare, cum non omnes tres ſimul genuerit, attamen priùs nominatur Sem, non quia ſit major natu, ſed quia dignior aliis; fuit enim idem ac Melchiſedech ſecundum Hieronymum ad Evagrium: per quem offerentem panem, & vinum ſignificabatur Chriſtus Dominus, ut exponit Paulus ad Hebræos 7., qui futurus erat Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Cum verò vixerit Sem quingentis aliis annis, ex prefato Geneſ. loco, qui cum centum prioribus reddunt ſexcentos, fit mortuum eſſe anno Mundi bis milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo.

Arphaxad filius Sem natus eſt biennio poſt Diluvium, ut cap.11. Geneſ.verſ.10.habetur; atque adeò

Arphaxad nativitas 1658. natus eſt anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo, dùm ejus Pater erat centum annorum. Vixit autem trecentis triginta octo annis, ut ex loco nuper adducto verſ. 13. eruitur, qui cum præcedentibus à ſua nativitate efficiunt annos mille nongentos nonaginta ſex ætatis Mundi, quando ipſe defunctus eſt. Et quamquàm in Hebræa editione, ubi in vulgata nos legimus: vixitque Arphaxad poſtquàm genuit Sale trecentis tribus annis, legitur quadrigentis tribus, ſtandum ſæpiùs diximus in ſynceritate noſtræ vulgatæ editionis; & fieri poteſt in ea non recenſeri totam vitam Arphaxad, cum poſt trecentos tres annos, quos dicitur vixiſſe à generatione Sale, ſubdatur ſolum, quod genuit filios, & filias abſque eo quod addatur, & mortuus eſt. Utcumque fuerit, propoſito à nobis aſſumpto non officit, qui non à tota vita Arphaxad ſeriem Mundi deducimus.

In

In majorem tamen illidimus difficultatem, quam & ingentem quæſtionem nominat in præſenti noſter Maluenda: quomodo Moyſes tàm cap. 10. verſ. 24. dicat Arphaxad genuit Sale, quam cap. 11. verſ. 12., Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale, omiſſa generatione Cainan, media inter Arphaxad, & Sale, quam non ſolum ponunt Septuaginta, ſed, quod majus eſt, S. Lucas in ſuo Evangelio cap. 3. verſ. 36.

Reſpondet Liranus in caput tertium Lucæ, quem ſequutus eſt Joannes de la Haje in ſuo Arbore vitæ, quod Cainan fuit Pater Sale legalis tantum, ſivè adoptans, Arphaxad verò naturalis. Obſtat tamen huic ſolutioni, quod Cainan, nedùm dicatur ab Evangeliſta Pater Sale, ſed filius Arphaxad, qui proindè apparet, fuiſſe Avum, non autem Patrem naturalem Salæ. Conſtat enim Joſeph Virum Mariæ ſemper Virginis per diverſos Patres, naturalem, & legalem

diverſos habuiſſe Avos, & progenitores: nec Heli, qui fuit ejus Pater legalis, fuit filius Jacob Patris naturalis Joſephi.

Alii verò non aliter à præſenti difficultate ſe expedire conantur, quam irrepſiſſe errorem in Septuaginta editione, cum in multis centenis annorum redundet eorum ſupputatio in generationibus a Diluvio uſque ad Abraham, ut conferenti illam cum vulgata authoritate Xiſti quinti Latino idiomate verſam, facilè conſtabit. Addunt verò, S. Lucam excuſari, eo quod quaſi invincibiliter uſus fuerit eadem editione Septuaginta, ſuis temporibus toto Orbe receptiſſima.

Cęterum quantum attinet ad Septuaginta editionem Eminentiſſimus noſter Capiſuccus contr. 17. §. 23. tradit: quo ad ſubſtantialia, & quo ad ea, quæ ad fidem pertinent, errorem nullum in ea contineri, proculdubio dicendum eſſe; nàm aliàs Pontifices eam non per-

permiſiſſent, nec probaſſent, uti probaverunt: & ſi aliqua levia errata in eis, quæ ad fidem non pertinent irrepere potuiſſe, & fortè de facto irrepſiſſe admittamus, non tamen quo ad locum illum, in quo Cainan mentio habetur. Attamen, ſi omnia, quæ in Sacris literis à Deo revelata inveniuntur, ad fidem pertinent, omnia ſunt, & dici ſubindè debent ſubſtantialia; Adeòque non aliundè dignoſci poteſt, quibus in locis irrepſerit error in poſtrema Septuaginta editione, quam ex regula noſtri Gravinæ de verbo Dei ſcripto controv.7. art.2.: Ubi ſcilicet vulgatæ contradicit, ubi verò illi non contradicit, & ſi aliqualiter diverſam lectionem ſecundum periphraſim ſortiatur, maximæ eſſe authoritatis; quia, ut dicitur à Xiſto Quinto ad emendatiſſimorum Codicum fidem reſtituta eſt; non tamen quoad nos authentica dicenda eſt, cum non eodem modo, ac vulgata recipienda mandètur

à Tri-

à Tridentino. In eo verò, quod S.Lucam excuſant, graviſſimè, & ſine excuſatione eos errare, cenſendum eſt; eo quia excuſatio defectum non perceptæ veritatis, ſeù deceptionis, licet abſque culpa, ſupponit, quod in Scriptore Canonico, ex ſpeciali motione Spiritus Sancti ſcribente, nefas eſt ſuſpicari; ut dixit nàmque ſapienter lib. 2 de locis Melchior Cano, non minus eloquentia, quam infula Illuſtriſs., quod Lucas Authores habuerit graviſſimos, quos in errore ſequeretur id Evangeliſtam culpa liberare fortaſſe poterit, Evangelium certè liberare non poterit. Aliàs, ſi opinari licèret aliquod falſum in Evangelio, aut quavis Scriptura Canonica, periret Fidei certitudo, quæ authoritati Sacræ Scripturæ innititur, ut tradit D.Thomas 2. 2. quæſt. 110. art. 3. ad 1.

Qua ratione ingenuè convictus, nedùm Ven. Beda, ſed maximus in exponendis Scripturis Doctor

ctor Eccleſiæ Hieronymus, inquit: propter ingenii tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus, neſcio perſcrutari, qua ratione cum in Hebraica à Diluvio, ideſt à Noe uſque ad Abraham decem generationes inveniantur, ipſe Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes, juxtà Septuaginta Interpretes, adiecto Cainan, in Evangelio ponere maluerit. Quapropter Cajetanus, qui in præfatum inclinaverat dicendi modum, ſeipſum corrigit inquiens: Hæc dixerim, ſi verè iſta generatio abundat; poſſet nàmq; dici, Textus Hebræos modernos eſſe mancos, & Textum interpretatum à Septuaginta fuiſſe integrum; & hoc credibiliùs eſt, præſertim quod apud Septuaginta ſcribantur etiam anni, quibus vixit Cainan medius inter Arphaxad, & Sale. Verùm, quia hujuſmodi depravationem non agnovit Hieronymus, ad eam

& nos

& nos recurrere non debemus; eo vel magis, quod oporteret aſſerere editioni vulgatæ Geneſ. integrum annorum calculum ex depravatione deeſſe.

Rursùs alii voluerunt, Salem fuiſſe binominem, ac in Evangelio Lucæ legendum, qui fuit Sale, qui & Cainan; nullo tamen vetuſto oſtenſo Codice præſeferente hanc lectionem, quæ adhùc ex mox dicendis contra Eccleſiæ infallibilem vergeret authoritatem. In Septuaginta inſuper editione, quam ſequutum fuiſſe fatentur omnes D. Lucam, habetur à Cainan fuiſſe genitum Sale. Ut quid etiam unius tantum hominis duo nomina exprimere voluit Evangeliſta, & non aliorum, quos conſtat ſimiliter fuiſſe binomines?

Alii verò dixerunt, Cainan abſolutè irrepſiſſe librariorum errore, vel Scioli alicujus, qui Hebraicæ ignarus linguæ, cum in verſione Septuaginta in Geneſ. inveniret additum Cainan, eun-

dem

dem ex Septuaginta in Lucam tranſtulit. Sed hæc pariter reſponſio eſt reprobanda : ſiquidem deceptio reduceretur etiam in Spiritus Sancti directionem, ex cujus ſpeciali aſſiſtentia Lucæ Evangelium cum generatione Cainan authenticum eſſe de Fide decrevit Eccleſia. Qua de cauſa Cornelius à Lapide, qui in Geneſis cap.11. hujus fuerat ſententiæ, cautiùs oppoſitum amplectitur in caput 3. Lucæ, dicens: omninò in Textu Lucæ retinendum eſſe Cainamum. De quo propter æternam Evangelii veritatem nemò cordatus ambigat, ut prudenter protulit noſter Maluenda omnia effugia præcludens; nàm qui dicunt vitio Scriptorum in Septuaginta, & in Lucam inditam generationem Cainan, non evadunt inſignem temeritatis notam, cum Eccleſia, & Lucam ità ſemper legerit, & approbaverit, nec ullus unquàm vetuſtus, aut ſynceræ notæ oſtenſus, aut repertus ſit vel Septuagin-

ta, vel Lucæ Codex, qui ea caruerit; & qui contra pertendunt ſunt verè nugaces, & nihil niſi ſomnia narrant. Cur autem Moyſes eam omiſerit (nàm exiſtimare, eam ab Hebraicis Codicibus excidiſſe, eſt ridiculum) Deus ſcit, ſed nos latet. Quam reſponſionem, ut refert Xiſtus Senenſis lib. 5. annot. 88., & lib 6. hæreſi 4. in fine, priùs tradiderat Aloyſius Epiſcopus Veronenſis dicens: fieri potuiſſe, ut Spiritus Sanctus occulta aliqua ratione Moyſis mentem permoverit, ut Cainan generationem in hujus genealogiæ ſerie præterierit, ſicut & quoſdam Evangeliſta Matthæus in genealogia Salvatoris taciturnitate involuit. Cujus ea videtur ratio, quia aliud eſt omittere, quod eſt, aliud dicere, quod non eſt: primum licet, ſecus ſecundum. Et in hac tandem reſponſione plenè quieſcit Melchior Cano, inquiens: ex majorum traditione, vel ex hiſtoriis fide dignis habitam eſſe à Septuaginta generationem

nem

nem illam Cainan, quamvis in originalibus Hebræorum Codicũ non vitiatis non reperiatur. Et quidem, ut inquit Auguſtinus 18. de Civitate cap. 43. quidquid eſt apud Septuaginta, in Hebræis autem Codicibus non eſt, per iſtos maluit, quam per illos Spiritus Sanctus dicere, ſic oſtendens, utroſque fuiſſe Prophetas. Iſto enim modo alia per Iſaiam, alia per Jeremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc, atque illum dixit, ut voluit.

Satisfacere tamen cuidam obiectioni debemus. Nàm Moyſes tàm Chronologiam, quàm Mundi hiſtoriam pertexit; ergò non omiſiſſet triginta illos annos ad minus, quos tribuunt Cainan ejus generationem admittentes, quamquàm Septuaginta perveniunt uſque ad centum triginta; aliàs incidiſſet in vitium, & errorem Chronologiæ, qui non eſſet omiſſio purè negativa, ſed privativa: & ſicut nos,

cor-

corrumpi, & falſam effici, aſſerimus hiſtoriam, ſi Lucas, quod abſit, inveniretur ſuperfluus, ità, ſi Moyſes inveniatur mancus, mutila rederetur ejus Chronologia. Cæterum etiam admiſſa, ut debet, generatione Cainan, cōponi poſſe confidimus, nullum Moyſis defectum in annorum Chronologia reperiri; cum benè fieri potuerit, Arphaxad, dùm ſeptendecim compleſſet annos, genuiſſe immediatè Cainan, & mediante Cainan genuiſſe Sale, ejus nepotem, dùm eſſet trigintaquinque annos natus: qui Cainan vel non fuerit fortè, vel parum fuerit ſuperſtes ad Sale, cujus proindè nativitas non incongruè tribui poterat Arphaxad; aliqua occulta nobis ratione, Deo volente, prætermiſſo Cainan, ad annorum ſeriem trahendam neceſſariò non conducente. Quam reſponſionem inveni poſteà fuiſſe priùs traditam à Genebrardo lib. 1. Chronologiæ pag. 29. dicente: ſi verè Arphaxad genuit Cainan, dein-

deindè Cainan Sale, genuit Cainan anno decimo octavo, & Cainan Sale anno decimo ſeptimo; qua ratione Sale natus eſt ipſi Arphaxad, dùm Arphaxad ageret trigeſimumquintum annum; ſic numeri tantum in Septuaginta erunt corrupti, ut in totis his ſeculis. Cum ergò Arphaxad natus ſit anno 1658., ut vidimus, & genuerit Sale anno triceſimo quinto ſuæ ætatis, Geneſ.cap.11. verſ.12. (intellige mediante Cainan) fit indè, Sale natum eſſe anno Mundi milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio. Sale nativ. 1693.

Supra præfatos annos vixit Sale quadrigentis triginta tribus annis, Geneſ.cap.11. verſ.15.; Undè vixit uſque ad annum Mundi bis milleſimum centeſimum viceſimũ ſextum incluſivè. De ejus morte, ſicut de ſequentibus uſque ad Thare nihil expreſſum in Scriptura tenemus. Vixerat autem triginta annis, & genuit Heber, ut ibidem verſ. 14. dicitur; undè cum natus

ſit

Heber nativ. 1723. ſit anno Mundi 1693., fit, Heber natum eſſe anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo tertio. Qui cum vixerit quadringentis ſexaginta quatuor annis, ut à verſ. 16. dicitur, ſi natus eſt anno Mundi 1723., efficitur indè, vixiſſe uſque ad annum Mundi bis milleſimum centeſimum-octogeſimum ſeptimum incluſivè. Genuerat autem Phaleg, dùm eſſet triginta quatuor annos natus, ut traditur ibidem: undè, ſi natus eſt anno Mundi 1723., ſequitur, Phaleg

Phaleg nativ. 1757. natum eſſe anno Mundi milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Vixit verò Phaleg biſcentum triginta novem annis, ut deducitur ex verſu 19. ejuſdem 11. capitis, undè habemus vixiſſe ad annum uſque Mundi milleſimum nongenteſimum nonageſimum ſextum. Jàm verò, cum eſſet triginta annorum, genuit Reu, ut verſ. 18. ejuſdem exprimitur loci, cum ergò fuerit natus anno Mundi

1757.

1757., natus eſt Reu anno Mundi millesſimo ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo. Vixit autem uſq; ad annum Mundi bis milleſimum viceſimum ſextum incluſivè, quippè qui vixit à ſua nativitate biſcentum triginta novem annis, ut habetur verſu 21.

Reu nativ. 1787.

Reu, quem natum diximus anno Mundi 1787., anno triceſimo ſecundo ætatis ſuæ genuit Sarug, ut in verſu 20. jàm recenſiti cap. 11. exprimitur. Sarug igitur natus eſt anno Mundi milleſimo octingenteſimo decimonono. Vixit verò biſcentum triginta annis, ut conſtat verſ. 23., adeòque vixit ad annum Mundi biſmilleſium quadrageſimum nonum. Erat autem triginta annorum, dùm genuit Nachor, ut verſ. 22. dicitur; undè, ſi natus eſt anno Mundi 1819., efficitur Nachor natum eſſe anno Mundi milleſimo octingenteſimo quadrageſimo nono; vixitque proindè anno Mundi milleſimo nongenteſimo nonageſimo ſeptimo,

Sarug nativ. 1819.

Nachor nativ. 1849.

quia

quia vixit centum quadraginta octo annis à ſua nativitate, ut ex eodem eruitur loco. Genuit verò Thare, dùm vixerat viginti novem annis, ut traditur verſ. 24.; propterea, ſi natus eſt anno Mundi 1849., jàm Thare natus eſt anno Mundi milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo octavo. Cum autem vixerit Thare ducentis quinque annis, ut in calce cap. 11. dicitur, planè ſequitur mortuum eſſe in Haram anno Mundi bis milleſimo octogeſimo tertio.

Thare nativ. 1878.

CAPUT 7.

In quo pervenitur uſque ad Incolatum Filiorum Iſrael per Deſertum.

JAm verò cum nativitate Abrahæ difficultas oritur non negligenda. Geneſ. cap. 11. verſ. 26. dicitur: vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. At Thare veniens

uſque

uſque Haran, ibiq; habitans, mortuus eſt ducentorum quinque annorum, ex paulò ante jàm dictis. Igitur Abraham in obitu ſui Patris Thare debuiſſet eſſe centum, tringintaquinque annos natus, quia iſti anni cum primis ſeptuaginta conflant ducentos quinque annos totius vitæ Thare. Quomodò ergò cap. 12. verſ. 4. dicitùr: ſeptuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran? Nàm quod talis egreſſus fuerit mortuo patre, ſcilicet Thare, habetur Actorum cap. 7. verſ. 4.

Ad nodum hunc ſolvendum à certioribus incipiens, advertendum duco cum communi conſenſu, quod dùm dicitur: vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran, ſenſus non eſt, quod Thare in ſeptuageſimo dumtaxàt ætatis ſuæ anno omnes tres iſtos filios genuerit; caſus enim non tàm ordinarius, ac frequens vero ſimilis non videtur, nullo habito Divinæ

F Scri-

Scripturæ expreſſo teſtimonio, ut factum agnovimus in Jacob, & Eſau, de quibus Geneſ. cap. 25. verſ. 24. clarè habetur, jàm tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti ſunt. Idque proindè, ut probè aſſeruit Cajetanus, intelligendum venit negativè, quod ſcilicet Thare non ante ſeptuaginta annos inceperit generare illos; quemadmodùm in ſuperioribus aſſeruimus de filio Noe, Sem, qui & Melchiſedech; undè non rectè deducitur, eo quod primo loco nominetur Abram inter filios Thare, natu maximum fuiſſe, ac primogenitum, ut benè Maluenda, nàm ex ducta annorum ratione minimum fuiſſe demonſtratur. Sed quod dignior, ſanctior, & præcipuus primogenitorum Chriſti, cujus res narrandas ſuſceperat Moyſes: & quia, ut Oleaſter habet, omnes aliæ generationes propter Abram ſupponuntur, cujus hiſtoriam in ſequentibus texere intendit. Et quidem, ſi

ſi Aran, qui tertio loco nominatur inter filios Thare, pluſquàm decem annis excedebat Saram, ejus filiam ſecundùm Hieronymum, ut eam gignere potuiſſet, erat etiam major natu ipſo Abraham, qui non excedebat Saram ejus uxorem pluſquàm decem annis ex cap. 17. Geneſ. verſ. 17. Undè, ſi alio poſteriori tempore ad ſeptuaginta annos ætatis Thare tertio loco ortus eſt Abram, oportet, ut nobis manifeſtetur, illud venari ex ducta aliorum annorum ratione Sacræ Scripturæ, ne temerè aliquid aſtruamus. Cumque in ea aſſeratur, Thare ducentorum quinque annorum mortuum eſſe in Haran: atq; tunc Abraham egreſſum de Haran fuiſſe ſeptuaginta quinque annos natum, non obſcurè colligi debet, Abraham natum, dùm Thare eſſet centum triginta annorum; quia, ſi his addantur ſeptuaginta quinque anni ætatis Abraham, conſtant ducentoſquinque annos mortis Thare.

Non deſunt tamen, qui volunt, Abram bis fuiſſe in Haran; & primò, cum eſſet ſeptuagintaquinque annorum, brevi ibi adfuit tempore, diſceſſitque per ſexaginta annos: reverſus verò ad ſepeliendum patrem, ibidem ſecundò fuit, quo ſepulto, rursùs indè diſceſſit, ut refert D. Stephanus Actorum 7.; ſed tunc non ſolum erat ſeptuagintaquinque annos natus, ſed centum trigintaquinque; & ſic benè omnia conſona ſunt abſque eo, quod aſſeramus Abraham natum anno centeſimo triceſimo ætatis Thare ſui patris.

Verumtamen fateor quidem, non unam, ſed duplicem ad minus interceſſiſſe apparitionem Dei Abrahæ factam (ratione cujus non ſibi adverſantur Moyſes, & Stephanus, ut videri poterant) prima fuit dùm moraretur in Ur Chaldæorum, undè exivit veniens uſque Charan, ſeù Haran, ut iret in terram Chanaan; & de hac loquitur D. Stephanus, dùm inquit:

Deus

Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, cum eſſet in Meſopotamia, priuſquàm moraretur in Charan; nomine enim Meſopotamiæ Chaldæa accipi, ac deſignari poteſt, quæ in Meſopotamia cum Babylone, quæ eſt totius Chaldææ caput, includebatur; undè & ſubdit idem Sanctus Stephanus, tunc exiit Abraham de terra Chaldæorum. Secunda apparitio accidit in Haran, undè mortuo ejus patre, ex Divino mandato diſceſſit in terram Chanaan, ſemini ejus promiſſam. Quamvis enim illi fuerit à Domino dictum egredere de terra tua, & de cognatione tua, id fuit, eo quia, licet eo tempore corporaliter habitaret in Haran, in terra ſua habitabat per affectum, & propoſitum revertendi illuc, ut advertit D. Auguſtinus 14. de Civitate cap. 15. De hac autem ſecunda meminit Moyſes Geneſ. 12. prætermittens primam; cum potiùs Thare, quam Abrahæ ductu diſceſſus factus videretur: vel il-

lam in unum redigens cum ſecunda, ad cujus tandem eundem finem tendebat. Nec etiam hanc ſecundam Dei locutionem totaliter omiſit ſignificare Protomartyr Stephanus; poſt enim ſuperiùs adducta ejus verba ſubdit: & indè (nempè de Haran) poſtquàm eſt mortuus pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam, ſcilicet per vocationem.

Id, quod tamen aſſero, eſt, quod dùm Geneſis 12. dicitur, Abram egreſſum de Haran, ſicut præceperat ei Dominus, fuiſſe ſeptuaginta annorum, acciderit mortuo patre; ſubditur enim, tulitque Sara uxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, univerſamque ſubſtantiam, quam poſſederant, & animas, quas fecerant in Haran, & egreſſi ſunt, ut irent in terram Chanaam. Quo ſufficienter datur intelligi, nedùm moram antecedentem ad talem egreſſum non fuiſſe brevem, ſed etiam patrem non fuiſſe ibi relictum in vita; quomodo enim om-

nia

nia potuiſſet ſecum adducere, uxorem, Lot, omnes animas, quas fecerunt in Haran, ac univerſam ſubſtantiam, quam poſſederunt; abſque ullo ſubſidio, ac ſocietate, relicto ſolo patre? Ulteriùs: ſi Abraham, mortuo patre plurium fuiſſet annorum, quam ſeptuagintaquinque, non haberemus ex Sacris literis in quoto ſuæ vitæ anno Thare ipſum genuerit, adeoque Chronologiæ ratio, quam Moyſes texere intendebat, everteretur; ſiquidem, ut ſupra dicebamus, ex illo Geneſ. vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran, non ſignificatur, Abram genitum in ſeptuageſimo anno ætatis Thare, cum minimus inter eos fuerit. Nec ullus alius extet Scripturæ locus, undè determinatus annus ætatis Thare in nativitate Abrahæ colligi valeat abſq; divinatione, à qua nos quam longè diſtamus. Si namque obiit Thare, dùm eſſet ducentorũ quinque annorum, palàm efficitur;

Abram natum eſſe, dùm Thare eſſet centum triginta annorum. Cumque, ad ſeriem revertendo, Thare natus ſit anno Mundi milleſimo octingenteſimo ſeptuageſimo octavo, ſi his addantur centum triginta anni ætatis ſuæ, in qua genuit Abram, fit, Abram natum eſſe anno Mundi biſmilleſimo octavo.

Abram nativ. 2008.

Octoginta ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar ancilla Iſmaelem, ut Geneſ. cap. 16. in fine aſſeritur: qui, ſi addantur annis Mundi ſuæ nativitatis 2008. perveniunt ad duomillia nonagintaquatuor annos Mundi in ortu Iſmaelis. Inſuper Iſmael expleverat tertiumdecimum annum, cum Abraham juſſu Dei ſe circumcidit cum Iſmaele, ac tota familia domus ſuæ, ut cap. 17. verſ. 24. habetur. Undè Circumciſionis inſtitutio incepit practicè fieri anno Mundi biſmilleſimo centeſimo ſeptimo expleto, ut in ſummam facilè redigi poſſunt. Vixit autem

Abra-

Abraham centum ſeptuaginta quinque annis, & mortuus eſt, ut habetur cap. 25. verſ. 7.; quapropter, cum natus ſit anno Mundi 2008., defunctus eſt anno biſmilleſimo centeſimo octogeſimotertio. Ex propria autem uxore Sara, quæ, nedùm ſterilis erat, ſed etiam nonagenaria inepta ad generandum, genuerat ſpeciali Dei munere filium Iſaac, dùm eſſet centum annorum, ut traditur cap. 21. verſ. 6.; cumque Abraham natus ſit anno Mundi biſmilleſimo octavo, deducitur Iſaac natum eſſe anno Mundi biſmilleſimo centeſimo octavo. Iſaac nativ. 2108.

Hunc filium, quem ſummoperè Abraham diligebat, prompto animo, ut juſſerat ei Deus, non renuebat eidem omnium Authori in ſacrificium offerre; ideòque in ejus ſemine benedictæ ſunt omnes gentes Terræ Geneſ. cap. 22.; quia ſcilicet ex Abrahæ ſemine carnem ſumpturus erat Dei filius, in quo omni benedictione ſpirituali in

cæleſtibus replemur. Obiit verò completis centum octoginta annis Geneſ.cap.35.in fine, adeòque anno Mundi biſmilleſimo ducenteſimo octogeſimooctavo. At cum nati ſint ei in eodē Rebeccæ partu Jacob, & Eſau, dùm eſſet ſexaginta annorum, ut cap.25. Geneſ. traditur, verſ.26., fit quod Jacob, & Eſau nati ſint anno Mundi biſmilleſimo centeſimo ſexageſimo octavo.

Jacob nativ. 2168.

Vixit Jacob centum quadraginta ſeptem annos, Geneſ.47 verſ. 28.: Sicque defunctus eſt anno Mundi biſmilleſimo trecenteſimo quintodecimo. Ingreſſus autem fuerat in Ægyptum, dùm eſſet centum triginta annorum, eodem cap. Geneſ. verſ.9., qui, ſi addantur annis Mundi 2168., quando natus eſt, efficitur ingreſſum eſſe in Ægyptum anno Mundi biſmilleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo.

Ingreſſus Jacob in Ægyptum 2298.

Joſeph filius Jacob erat triginta annorum, dùm ſtetit coràm Faraone,

raone, Geneſ.41. verſ.46., quibus, ſi addantur ſeptem anni fertilitatis, ibidem, verſ.26. recenſitæ, & duo anni ſterilitatis, dùm Joſeph ſe manifeſtavit fratribus ſuis, ut Geneſ. 45. verſ.6. exprimitur, eis indè præcipiendo, ut Pater ejus Jacob abſq; mora veniat in Ægyptum, habitetque in terra Geſſen, explent numerum trigintanovem annorum ætatis Joſeph; undè, cum Jacob tunc eſſet centum triginta annorum, fit per ſubtractionem triginta novem annorum, quod Jacob genuerit Joſephum, dùm eſſet nonaginta unius anni; cumque idem Jacob natus ſit anno Mundi biſmilleſimo centeſimo ſexageſimo octavo, ut ſupra deduximus, efficitur, quod eis additis nonagintauno anno Joſeph natus ſit anno Mundi biſmilleſimo ducenteſimo quinquageſimonono: &, ut dicitur Geneſ. cap.50. in fine, defunctus eſt expletis centum decem vitæ ſuæ annis; adeòque anno Mundi biſmilleſimo trecen-

Mors Joſeph 2369. teſimo ſexageſimonono.

Dùm Jacob ingreſſus eſt in Ægyptum, Joſeph, ut diximus, erat trigintanovem annorum; at qui obiit centum, & decem vitæ ſuæ annis expletis; igitur Iſraelitæ ab eorum ingreſſu in Ægyptum uſq; ad mortem Joſeph permanſerunt ibidem ſeptuagintauno anno. Rursùs Jacob cum Jſraelitis ingreſſus eſt in Ægyptum anno Mundi 2298.; ſicque deducitur, ibidem permanſiſſe ad mortem uſque Joſeph anno biſmilleſimo trecenteſimo ſexageſimonono.

A morte autem Joſeph quanto permanſerint tempore Iſraelitæ in Ægypto, difficultate non caret. Alicui ſiquidem prima fronte videri poterit, tempus illud fuiſſe tercentum quinquagintanovem annorum, ex illis verbis, quæ habentur Exodi cap. 12. verſ. 40., habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadrigentorum triginta annorum; quia, ſi ab his demantur ſeptua-

ginta

gintaunus annus ab ingreſſu Iſrael in Ægyptum uſque ad mortem Joſeph, remanent à tali morte uſque ad exitum tercentum quinquagintanovem anni. Vel fortè alteri videri poterit ex aliis verbis Geneſ. cap. 15. verſ. 13., in quibus recenſentur ſolum quadringenti anni, quod à morte Joſeph permanſerint Iſraelitæ in Ægypto ſolum tercentum vigintinovem anni. Verùm computationem quadrigentorum triginta annorum incipiendam eſſe à promiſſione Dei facta Abrahæ, dùm eſſet ſeptuagintaquinque annorum, ac terminari uſque ad exitum filiorum Iſrael de Ægypto, quando data eſt eis lex, excepto Genebrardo lib. 1. pag. 61., docent communiter Doctores, & D. Thomas ad Galatas cap. 3. lect. 6., eruiturque ibidem ex verbis Apoſtoli verſ. 16. dicentis: Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus, quas promiſſiones vocat teſtamenta, quia ſcilicet firmatæ ſunt juramento

Di-

Divino; & ſubdit: quod lex data ſit quadrigentis triginta annis poſt Abrahæ promiſſiones; inquit enim, quæ poſt quadrigentos, & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem. Et quidem illos annos haud inchoandos eſſe ab ingreſſu Jacob in Ægyptum, facilè conſtare poterit ex eo, quod Caath, filius Levi deſcendit in Ægyptum cum Jacob avo ſuo Geneſ. cap.46. verſ. 11., vixit autem centum triginta tres annos, ac filius ejus Amram cētum trigintaſeptem, Exodi cap. 6.verſ.19.& 31.Moyſes verò filius Amram anno octogeſimo ſuæ ætatis exivit de Ægypto, ut ex infra dicendis conſtabit. Jàm verò omnes prædicti anni vix conflant numerum annorum trecentorum quinquaginta, à quibus ſi demantur anni, quibus Caath ante mortem genuerat Amram, & quibus Amram ante mortem genuerat Moyſem, multo minor remanebit annorum ſumma, qua Iſraelitæ fue-

fuerunt in Ægypto: quam rectè putamus inveniri poſſe ex eo, quod quadrigẽti triginta illi anni ſupputentur ex Pauli allegata authoritate ad Galatas 3. à tempore promiſſionis Dei factæ Abrahæ. Et hoc pacto ducitur ſeries ex ſupradictis: Abraham ſeptuaginta quinque erat annorum, quando exiens de terra ſua, facta eſt ei promiſſio: genuit autem Iſaac, cùm eſſet centum annorum, undè à promiſſione ad nativitatem Iſaac vigintiquinque anni fluxerunt, quibus, ſi addantur ſexaginta anni Iſaac, quando genuit Jacob, & centum triginta anni ætatis Jacob, quando introivit in Ægyptum, habemus profectò ducentos & quindecim annos. At ſupra diximus inſuper Jacob ingreſſum in Ægyptum, dùm ejus filius Joſeph erat trigintanovem annos natus, qui proindè uſque ad centum, & decem vitæ ſuæ annos expletos ab ingreſſu Jacob in Ægyptum, vixit ſeptuagintaunum annum;

adeò-

adeòque, ſi iſti anni addantur ad ſupra recenſitos ducentos & quindecim annos, eruitur, annos à promiſſione facta Abrahæ uſque ad mortem Joſeph fuiſſe biſcentum octogintaſex. Sequitur igitur ex his, quod poſt mortem Joſeph Iſraelitæ fuerint in Ægypto ſolum centum quadragintaquatuor annos, qui à ſumma ducentorum octogintaſex annorum deſiderantur ad perveniendum ad ſummam illam quadrigentorum triginta annorum.

Hoc autem, quod ex Scriptura deduximus de centum quadragintaquatuor annis Iſraelitarum in Ægypto poſt mortem Joſeph, tradidit etiam Rabanus apud D. Thomam, ubi ſupra ad Galatas 3., Petrus Comeſtor cap. 27. hiſtoriæ libri Exodi, inquiens ad illa verba habitatio autem filiorum Iſraël in Ægypto fuit 430. annorum: nomine Ægypti intelligendus eſt omnis incolatus eorum, qui incepit à promiſſione Abrahæ facta in

via

Meſopotamiæ, à qua uſque ad legem datam tot anni fluxerunt. Vel quia fortè ſpecificatio motus peregrinandi ſumitur à termino, vel quia filii Iſrael diuturniore permanſerint tempore, magiſq; continuo, ducẽtorum ſcilicet & quindecim annorum in Ægypto, quam alicubi diviſim. Concordat S. Iſidorus lib. 5. etymolog. cap. 39., aliique. Conſonat etiam cum textu Geneſ. cap. 15., ubi non dicitur Abrahæ, peregrinum erit ſemen tuum in terra Ægypti, ſed, in terra non ſua, ut benè obſervavit noſter Joannes De la Crux in opuſculo appoſito in calce ſui directorii. Dùm verò ſubditur, affligent eos quadrigentis annis, ly quadrigentis annis conſtruendum venit, cum ly peregrinum erit, non verò cum afflictione jungendum; uſq; enim ad novum Regem Pharaonem neutiquàm in afflictione fuerunt.

Solum hic ſupereſt difficultas quędam breviter expedienda: quomodo

modo cap. 15. Geneſ. verſ. 13. dictum fuerit Abrahæ: Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſervituti, & affligent quadrigentis annis; quod & replicat D. Stephanus Actorum cap. 7. verſ. 6. inquiens: locutus eſt Abrahæ Deus, quia erit ſemen ejus accola in terra aliena, & ſervituti eos ſubiicient, & malè tractabunt eos annis quadrigentis; quadrigenti autem anni omiſſione triginta annorum non videntur concordare cum quadrigentis triginta Exodi cap. 12. aſſignatis. Promptior hujus reſponſio eſt, quod promiſſio facta Abrahæ fuerit in ordine, & reſpectu ſui ſeminis; quamquàm autem ex eo tempore, quo fuit facta uſque ad datam legem fluxerunt 430. anni, ut vidimus, & accipiuntur authoritates Exodi 12., & ad Galatas 3., quia tamen ſemen Abrahæ ex generatione Iſaac computatur, juxtà illud Geneſ. cap. 21. verſ. 12. in Iſaac

vo-

vocabitur tibi ſemen: & Iſaac genitus fuit viginti quinque annis poſt promiſſionem, ideò in locis Geneſ., & actorum adductis annorum numerus incipit ab Iſaac generatione, omiſſis vigintiquinque annis, & aliis quinque more Scripturæ non curantis de minutis; vel quia quinto anno Iſaac expulſus fuit Iſmael, & remanſit ſolus Iſaac hæres Abrahæ, à quo tempore interceſſerunt ſolum quadrigenti anni. Sic præclarè D. Thomas loco citato ad Galatas lect. 6. Utrumq; igitur verum eſt, & quod uſque ad legem datam fluxerint à promiſſione quadrigenti anni, & quod fluxerint quadriginti triginta ſecundum diverſam inceptionem modo explicato.

Redeundo nunc igitur ad ſeriem noſtram: à morte Joſeph uſq; ad exitum filiorum Iſrael de Ægypto centum quadraginta quatuor anni interceſſerunt, ut è Scriptura in ſuperioribus deduximus. Cum ergò Joſeph mortuus ſit anno

Mun-

Mundi biſmilleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono, fit, egreſſum Iſraelitarum de Ægypto fuiſſe anno Mundi biſmilleſimo quingenteſimo tertiodecimo.

Egreſſus Iſraelis de Ægypto 2513.

Dicturus aliquid de annis Aaron Sacerdotis, priùs recenſenda eſt ejus mors, quam nativitas. Numerorum enim cap. 33. verſ. 38. habetur: Aſcenditque Aaron Sacerdos in Montem Hor jubente Domino, & ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael ex Ægypto Menſe quinto prima die Menſis. Cum autem illorum egreſſio ab Ægypto fuerit anno Mundi biſmilleſimo quingenteſimo tertio decimo, ſequitur, Aaron obiiſſe anno Mundi biſmilleſimo quingenteſimo quinquageſimotertio non expleto, Mēſe ſcilicet illius quinto, prima die menſis. Et quia ſtatim eodem loco ſubditur, cum eſſet annorum centum vigintitrium, infertur indè per horum ſubtractionem ab annis Mundi, quando accidit ejus

mors,

mois, natum fuiſſe anno biſmilleſimo quadringenteſimo triceſimo. Inſuper infertur, quod anno egreſſus ab Ægypto, qui, ut ſupra diximus, erat annus Mundi biſmilleſimus quingenteſimus tertius decimus, agebat annum ſuæ vitæ octogeſimum tertium; quia ſuper octoginta tres annos, ſi addantur quadraginta ab egreſſu ſupra recenſiti ex numer. cap. 33., quando defunctus eſt in Monte Hor, completur ſumma centum viginti trium annorum totius ſuæ vitæ.

Natus eſt verò Moyſes tribus annis poſterior Aarone, dicitur enim Exodi cap. 7. verſ. 7. erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octogintatrium, quando locuti ſunt ad Pharaonem; undè ſi Aaron natus eſt anno Mundi 2430., Moyſes natus eſt anno Mundi biſmilleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, ſi non eodem die, quod in Scriptura non exprimitur, magis, vel minus circiter. Egreſſus eſt etiam de

Ægy-

Ægypto anno octogeſimo ſuæ ætatis, cum Aaron egreſſus fuerit anno octogeſimotertio. Inſuper Deutoronomii cap. 34. verſ. 7. dicitur, quod erat centum viginti annorum, quando mortuus eſt, qui ſi addantur annis Mundi 2433. quando natus eſt, fit, obiiſſe anno Mundi biſmilleſimo quingenteſimo quinquageſimotertio, eodem anno, quo vita functus eſt Aaron.

CAPUT 8.

Quot anni fluxerint ab egreſſu filiorum Iſrael de Ægypto ad Templi inceptionem.

POſt egreſſum de Ægypto fuerunt Iſraelitæ per quadraginta annos in deſerto: Deutoron. enim cap. 29. verſ. 5. dicitur eis: adduxit vos Deus, quadraginta annis per deſertum, quod expreſſum etiam fuerat cap. 8. verſ. 2. Sed egreſſus eorum ex Ægypto in deſertum fuit anno Mundi biſmilleſimo

ſimo quingenteſimo tertiodecimo; ut vidimus; igitur, antequàm ingrederentur terram promiſſionis, fuerunt per deſertum uſque ad annum Mūdi biſmilleſimum quingenteſimum quinquageſimumtertium: qui annus, cum coincidat cum anno mortis Aaron, & Moyſis, qui tamen ingreſſi non ſunt in terram promiſſam; ſiquidem Deutoronom. cap. 1. verſ. 3. habentur verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Jordanem in ſolitudine quadrageſimo anno undecimo menſe 1. die menſis: qui ibidem verſ. 37. non ſe fore ingreſſurum tradit in terram promiſſionis, ſicut numer. cap. 20. verſ. 12. dicitur de Aarone, cenſendus videtur, fuiſſe annum quadrageſimum expletum; ut detur locus morti Aaron, & Moyſis, quorum prior non expleverit centum vigintitres annos ſuæ vitæ, ſicut nec Moyſes centum viginti, ut ſic omnia aptè valeant concordari; niſi forsàn in exitu de *Ægypto* fuerit in-

Incolatus Iſraelis per deſertum 2553.

inventus Aaron expleviſſe annum octogeſimumtertium, & Moyſes octogeſimum.

Ab egreſſu Iſrael de Ægypto uſque dùm incepit ædificari Templum Domino à Salomone quarto anno ſui Regni menſe Zio, ſcilicet Maii ſecundùm Comeſtorem, fluxerunt quadrigenti octoginta anni, & fortè non expleti; dicitur enim 3. Regum cap. 6. factum eſt ergò quadrigenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti in anno quarto menſe Zio (ipſe eſt menſis ſecundus) Regni Salomonis ſuper Iſrael ædificari cœpit domus Domino. Undè anno quadrigenteſimo quadrageſimo ab annis quadraginta tranſactis in deſerto poſt exitum de Ægypto, Templum ædificari cœpit. Cumque fuerit Iſrael in deſerto uſque ad annum Mundi 2553., ſequitur quod, ſi his addantur alii quadringenti quadraginta, Templum cœperit ædificari anno Mundi biſmilleſimo nongen-

genteſimo nonageſimotertio. Cum autem fuerit completum annis ſeptem, ut ejuſdem capitis in fine comperitur, fit, fuiſſe completum anno mundi termilleſimo. Templi Salomonis inceptio 2993.

Hìc verò diſſimulandum non puto, quod multis ſuadere conatur Melchior Cano lib. 11. cap. 5. ad duodecimum, numerum illum 480. annorum ex ſcribentium errore à verò fuiſſe immutatum, cum facilè, & lubricum ſit librariis, in Divina adhùc Scriptura numerum pro numero ſubſtituere; ideòque vult, addendos centum circiter annos; quamquàm ultrò fateatur, non ſolùm in omnibus codicibus Græcis, Latinis, & Hebræis prædictam ſummam quadrigentorum octoginta haberi, ſed univerſis Authoribus conſentientibus Hebræis, Græcis, & Latinis confirmari. Id tamen, quod magis nos movet eſt Eccleſiæ Catholicæ authoritas, quæ Spiritu Sancto aſſiſtente errare non potuit, adhùc in numerorum propoſitione, qui, in Sa-

cris literis recenſentur. Quod ſi dicat, authorem libri Regum ſcripſiſſe ſummam 480. annorum, quia e.s tantum annos redegit in ſummam, quos intellexit, dùm Judic.s, Regeſque adminiſtrarunt, interceſſiſſe, omiſſis annis inter-regnorum, qui verè, ut diſtincti ab annis Judicum effluxerunt: tale inquàm commentum non videtur quadrare verbis Scripturæ ſignificantis abſolutè, & ſimpliciter ab egreſſu filiorum Iſrael de Ægypto ad inceptionem uſque Templi effluxiſſe 480. annos, quod ſanè diverſum eſt, ac alienum ab hoc, quod Judices judicaverunt 480. annis; prioremque verborum ſenſum clariùs expreſſit numero non cardinali, ſed ordinali dicens: quadrigenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis Iſrael de terra Ægypti ædificari cœpit domus Domino. Quod ſi ità eſt, ut revera eſt, inter-regna illa, quæ in libro Judicum enarrantur, ut incluſa in annis Judicum ſunt computanda.

Pro

Pro quo recolendum, quod, cum populus oblivifceretur Dei, tradebatur in pœnâ peccati Idololatriæ dominatui Infidelium ad ſerviendum illis; cumque eum poſtea pœniteret, Deus miſericordia motus per Judices liberabat. Undè evenire facilè poterat, tempus afflictionis includi in Judicibus, aut antecedentibus, aut ſubſequentibus, vel partim in tempore unius, partim alterius; & ſi verè ut medians interceſſit, cum proprio eorum tempote eiſdem aſcribi; quamquàm Scriptura ſervitutis ediſſerens calamitatem, ſimul exponat quanto duraverit tempore: ſicut & poſtmodùm deſcribens liberationem per Judices factam, totum ſimul exprimat tempus, quo præfuerunt, aſſeratque, terram à ſtrepitu quieviſſe bellorum. Idque conſtare reor in inter-regno, quod ex Judicum cap. 13 ponitur à Cano, traditos eſſe filios Iſrael quadraginta annis in manus Philiſthinorum, & tamen de Samſone,

qui cœpit eos liberare, cap. 15. in fine dicitur, quod judicaverit Iſrael in diebus Philiſthiim viginti annis; undè & alii viginti, ſi fortè non inceperunt ante Samſonem, cenſendi ſunt duraſſe uſque ad viceſimum Heli, de quo videri poteſt Genebrardus lib. 1. pag. 94.; qui propterea pag. 88., & 99. vult, quinque illa ultima capita libri Judicum, à decimoſeptimo ſcilicet ad viceſimum primum, proximè præcedere ſecundùm rerum geſtarum ordinem, aut mox ſubſequi ſecundùm caput, ut facilè deprehendi poteſt ex modo, quo alia quaſi reſumitur narratio, dùm dicitur cap. 17., fuit eo tempore: & cap. 19., fuit quidam vir; ea enim, quæ de Idolo Michæ, conſtupratione uxoris Levitæ, ac extermioio univerſæ ferè tribus Beniamin narrantur, nec non alia, quæ ſequuntur, non intermedio evenerunt tempore, quod nullum fuit, ſed in diebus Othonielis; in quibus adhùc ſalvatur, non fuiſſe

Re-

Regem in Iſrael, ut capitibus dicitur 17., 18., & 21., cum eſſent ſolum Judices poteſtate Regia non pollentes ſecundùm D. Thomam lib. 2. cap. 8. de regimine Principum, & lib. 4. cap. 1. Rursùs inter-regnum duode viginti annorum, quod ex cap. 10. ponitur ante Præſulatum Jephte, quid prohibet illud includere in annis Jair, & ſecundùm aliquid poſtremum in principio annorum Jephte, cum Scriptura dumtaxàt poſt ſucceſſionem Jair ad Thola, & quod judicaverit per viginti duos annos mortuuſque ſit, ediſſerat, filios Iſrael feciſſe malum in conſpectu Domini, fuiſſeque traditos in manus Philiſthiim, ac filiorum Ammon per annos decem & octo paſſos afflictionem: nunquàm tamen aſſerat, unum adequatè acci- diſſe poſt aliud, quamvis unum poſt aliud referat? Viginti inſuper anni, quibus Judicum cap. 4. verſ. 3. Iſraelitæ poſt mortem Aod ſervierunt Joabin Regi Chanaan

conſentaneum eſt includere in annis Debboræ quadraginta; ibidem enim ſtatim ſubditur: erat autem Debbora Prophetiſſa uxor Lapidoth, quæ judicabat Populum in illo tempore. Octo pariter anni, quibus filii Iſrael, ex eo quod ſervierunt Diis gentium, ex eis ducentes uxores, filiiſque eorum tradentes filias ſuas, Judicum 3. verſ. 8., traditi ſunt in manus Chuſan Regis Meſopotamiæ, clauduntur ab anno viceſimo Othonielis, vel etiam poſt (quantum ſcilicet verificari neceſſe eſt, quod Joſue cap. 24. verſ. 31. traditur, ſervivitque Iſrael Domino cunctis diebus Joſue, & ſeniorum, qui longo vixerunt tempore poſt Joſue,) atque ab Othoniele jàm Judicis poteſtate fungente liberati ſunt, ut benè idem Genebrardus lib. 1. pag. 82., qui obſervans primum, & ſecundum caput Judicum cum magna parte tertii eſſe veluti prologum totius libri de prævaricante identidem populo, & reſipiſcente,

te,cujus cauſa nunc ſervituti ſubiiceretur,nunc Judici faveret Deus ad eum liberandum, cenſet, unum atque idem non pertinere ad proximum Judicem dumtaxàt, verumetiam ad reliquos, atque ità excludi inter-regna, quæ alioquin prima fronte multa videri poſſent.

Et quidem, ne multus ſim in ceteris recenſendis, eis omnibus excluſis,inveniemus, calculum annorum in lib. Judicum traditum reſpondere quadrigentis octoginta annis,qui in tertio Regum cap. 6. ponuntur fluxiſſe ab exitu Iſrael de Ægypto ad Templi conſtructionem. Othoniel nàmque præfuit quadraginta annis, Judicum 3.verſ.11.: Aod, octoginta annis, ibidem verſ.30.: Barach, & Debbora, quadraginta, cap.5. in fine:Gedeon etiam quadraginta, cap.8. verſ.28.: Abimelech tribus, cap.9. verſ.22.: Thola viginti tribus cap. 10. verſ. 2.: Jair viginti duobus,ibidem verſ.3.:Jephte ſex,

cap. 12. verſ. 7.: Abeſan ſeptem, ibidem verſ. 20. Ahialon decem, verſ. 12. Abdon octo, verſ. 15. & 16. in fine: Heli quadraginta, primi Regum cap. 4. verſ. 18., qui omnes conſtant numerum trecentorum triginta novem annorum. Porrò aliis quadraginta annis præfuerunt partìm Samuel, partìm Saul. Quamquàm enim Actorum cap. 13. verſ. 21. aſſeri videtur a D. Paulo, Saulem regnaſſe quadraginta annis, ſi tamen benè perpendantur ejus verba, nimirùm: & poſt hæc dedit Judices uſque ad Samuel Prophetam; & exindè poſtulaverunt Regem, & dedit illis Saul, filium Cis de Tribu Beniamin annis quadraginta; partiendos eſſe in præfectura cum Samuele apertè ſignificatur, ut rectè obſervat noſter Gravina de verbo Dei ſcripto contr. 5. ſpeciali art. 2., in quo & conveniunt ferè Doctores, quamvis in diſtributione horúm quadraginta annorum inter Samuelem, & Saulem varient. At-

tamen

tamen non ſunt ità diſtribuendi, quod Saul regnaverit ſolum duobus annis; illud enim, quod primi Regum cap. 13. dicitur: filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit, exponimus cum Gregorio lib. 5. cap. 3., quod ſicut ad literam filius unius anni eſſe non poterat, qui univerſo Populo ab humero, & ſursùm eminebat, ſed ut ejus innocentia prædicetur: Ità quamvis multis annis regnaverit, illis ſolis, ſcilicet duobus, regnare dicitur, in quibus innocens, & humilis fuiſſe perhibetur. Rursùs amoto Saule, regnavit David quadraginta annis, ut dicitur ſecundi Regum cap. 5. verſ. 4., ac quarto anno Regni Salomonis cœpit ædificari Templum: quorum annorum ſumma octogintaquatuor, ſi cum aliis quadraginta, quibus filii Iſrael fuerunt in deſerto, addatur annis Judicum 339., fient omnes anni quadrigenti ſexagintatres. Undè, cum, ad perveniendum ad

annos quadrigentos octoginta, requirantur ſeptemdecim, rectè tribuuntur Joſue (de cujus regimine non exprimitur in Scriptura numerus annorum) qui judicavit poſt egreſſum è deſerto ante Judicatum Othonielis.

Duplex tamen difficultas contra prædicta poteſt adhùc urgeri. Prima, quomodò Apoſtolus Actorum cap. 13., poſtquàm tradiderat, quod Deus plebis Iſrael in brachio excelſo eduxerat populum ſuum de Ægypto, & per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtituit in deſerto, ſtatìm ſubdat verſ. 19.: Et deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan (quæ erat Terra promiſſionis, ſeù Judæa) ſorte diſtribuit terram eorum, quaſi poſt quadrigentos, & quinquaginta annos: cum à quadraginta annis, quibus filii Iſrael fuerunt in deſerto uſque ad diſtributionem terræ Chanaan non tranſierint quadrigenti quinquaginta anni? Quare potiùs legendum

dum videbitur cum Pangino, & aliis: & deletis gentibus ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terrã eorum, & poſt hæc annis circiter quadrigentis quinquaginta dedit Judices uſque ad Samuel Prophetam; & ſic tempus Judicum ſunt plures anni, quam trecenti quinquagintaſex, ut nos cum annis Joſue computavimus; adeòque plures anni, quam quadrigenti octoginta fluxerunt ab exitu Iſrael de Ægypto ad Templi ædificationem.

Verùm retinendam omninò eſſe lectionem vulgatæ editionis, pluries protulimus. Undè ſecundùm Vener. Bedam quadrigenti quinquaginta anni non ſunt computandi à fine quadraginta annorum in deſerto uſque ad diſtributionem terræ; ſiquidem conſtat, quinque ſolum annos fluxiſſe, ſed à nativitate Iſaac, à qua uſque ad egreſſum de Ægypto ex ſuperiùs dictis, fluxerunt quadrigenti quinque anni, qui cum quadraginta

peregrinationis in deſerto, & quinque circitèr aliis bellorum Joſue, poſt quæ terræ accidit diviſio, conflant quadrigentos quinquaginta. Hanc tandem reſponſionem approbat Lorinus, multas alias afferens.

Secundùm quod obiicitur eſt, ipſummet Jephte Jud. 11. verſ. 26. apertè fateri per trecentos annos Iſraelitas permanſiſſe in Terra promiſſa; eiſque ſi addamus quadraginta annos, quibus fuerunt per deſertum, alioſque centum ſeptuaginta quinque ipſius Jephtæ, aliorumque Judicum ſubſequentium, nec non Saulis, ac Davidis cum quatuor Salomonis, conficiuntur quingenti & quindecim anni. Opus eſt igitur inter-regna, quæ in Scriptura narrantur ante Jephte non claudi in annis Judicum, & ità neque inter-regnum poſterius quadraginta annorum cap. 13. Judicum verſ. 1., cum quo erunt quingenti quinquaginta anni ab exitu Iſrael de Ægypto ad

ad inceptionem Templi.

Cęterum,cum in loco in inſtantia producto aſſeratur: quando (Iſrael) habitavit in Heſebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxtà Jordanem per trecentos annos, intelligi nequit, in omnibus trecentis annis fuiſſe in Terra promiſſionis; ſiquidem Aroer eſt civitas in torrente Arnon, quæ eſt in deſerto, & ponitur in finibus Amorrhæi, numer. cap. 21. verſ. 13., eſtque terminus Moab urbis Arabiæ Petręæ, quæ eſt Ægypto Judææque confinis, undè numer. cap. 33. verſ. 48., & ſeq. locatur ante terram Chanaan ſupra Jordanem. Heſebon etiam (quæ & videtur eadem, ac Moab) civitas eſt Regis Amorrhæorum, qui in deſerto egreſſus eſt obviam Iſraeli poſt prælium habitanti in ea, & viculis ejus, adhùc vivente Moyſe numer. cap. 21. à verſ. 23. Undè dicendum eſt, trecentos illos annos à ſexto anno computari, quo

filii

filii Iſrael fuerunt in deſerto in via ad poſſeſſionem Terræ Chanaan uſque ad tempus Jephte. Et hoc ſi Mathematicè ſumantur; nàm numeri conſueverunt dici centeneraii, adhùc ſi pauci deſint; quod in hac re non videtur penitùs alienum, dùm Jephte ſuaſione contendens per nuncios detinere ab invaſione tanquàm injuſta Regem filiorum Ammon, aſſeruit, quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis? Quo in caſu ab aliquibus aliis ultrà ſex annos incolatus in deſerto incipiunt præmemorati trecenti anni, qui eiſdem forſitan defuerunt. Videri poteſt Maluenda, qui tradens initium eorum annorum ducendum ab expugnato Sichone Amorrhæo, quando Iſraelitæ habitare cœperunt in Heſebon, & in Aroer, inquit: & ſi ab eo tempore uſque ad hanc Jephte legationem aliqui ſuperant, aut deficiunt anni, non eſt admodùm curandum; cum huj-

juſ-

juſmodi locutiones ſoleant eſſe rotundæ. Addimus etiam, quod, ſi ducenti ſexagintaquinque anni, qui à Joſue uſque ad Jephte Judicibus tribuuntur, adiiciantur ſeptuaginta, & uno anno interregnorum, qui uſque ad Jephte, ut non clauſi in annis Judicum ponuntur à Cano, ſumma non ſolum eſſet trecentorum annorum, ut dicitur in recenſito Judicum capite, ſed trecentorum trigintaſex annorum.

Nolo hìc præterire tempus nativitatis, ac mortis David, cujus ſupra mentionem fecimus, cum enim mortuus ſit tribus annis antequàm cœperit ædificari Templum, quarto ſcilicet anno Regni Salomonis, qui ut ſuprà diximus, erat annus Mundi biſmilleſimus nongenteſimus nonageſimus tertius, fit, mortuum eſſe anno Mundi biſmilleſimo nongenteſimo nonageſimo. Cum autem mortuus ſit ſeptuaginta annorum: triginta ſiquidem annorum erat, cum re-

gnare

gnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnavit, ſecundi Regum cap. 5. verſ. 4., fortè expletis, additiſque ſex menſibus, ut addi videntur verſu ſequente, qui 3. Regum cap. 2. verſ. 11. omittuntur, efficitur, natum eſſe anno Mundi biſmilleſimo nongenteſimo viceſimo.

CAPUT 9.

De Tempore Salomonis uſque ad Athaliam.

CUm Salomon regnaverit quadraginta annis ex tertii Regum cap. 11. verſ. 24., ſequitur, quod regnaverit trigintaſex annis ſupra annum, quo incepit ædificari Templum, qui fuit annus quartus ſui Regni. Templum autem incepit ædificari anno Mundi biſmilleſimo nongenteſimo nonageſimotertio, ut ſupra deduximus; undè fit, Salomonem obiiſſe anno Mundi termilleſimo viceſimo nono.

Salomonis mors 3029.

Co-

Comeſtor ſequutus Joſephum Hebræum tradit in hiſtoria tertii Regum cap. 27., Salomonem regnaſſe octoginta annos, ſed Divina Scriptura eos tantum annos exprimit, in quibus regnavit, antequàm prævaricaretur; cum enim eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos, ut adducto loco tertii Regum verſ.4. dicitur. Verùm ſi depravatum eſt cor ejus, dùm eſſet ſenex, non eſt depravatum quadraginta annis ante mortem, ante quos ſenex non erat, cum à Joſeph ponatur, vixiſſe nonagintaquatuor annos. Potuit igitur eſſe ſenex, & ſolum regnaſſe quadraginta annis, ut à Scriptura, quam nos ſequimur, ſatis apertè ſignificatur; dicitur enim in fine prædicti capitis undecimi: dies autem, quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt, dormivitq; Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Civitate David pa-

tris

tris ſui ; ubi ponuntur anni ejus uſque ad mortem, non autem ſoli illi in innocentia tranſacti.

Non eſt autem conſtans omnium ſenſus, in qua ſui ætate Salomon in Regno ſucceſſerit Patri, Scriptura id non exprimente; undè certum non eſt, quod Plures arbitrantur, duodecimo ſui anno habenas ſuſcepiſſe regiminis, obiiſſe proindè quinquaginta duos annos natus; eo quod Roboam quadrageſimoprimo anno poſt ejus mortem in Regno ſucceſſit, tertii Regum cap. 14. verſ. 21. Illud quoque eſt incertum, uxorem duxiſſe undecimo præcedente anno nutu ſui Patris, videre cupientis in nepote Roboam ſui ſeminis progeniem. Non inficior quidem, Achaz decennem procreaſſe Ezechiam, cum anno viceſimo regnaverit annis ſexdecim, quarti Regum cap. 16, Ezechias verò ſucceſſerit Achaz dùm vigintiquinque eſſet annorum cap. 18. Similiter Hieronymus refert epi-

ſtola

ſtola ad Vitalem, mulierculam factam gravidam à puero decenni: ut quæ contra naturam illius ſimplicitate in contemptum Dei abutebatur, à naturæ Domino proderetur. Verũtamen id totum, quod extraordinariè accidere poteſt, ſivè quodam individuo temparamento, animique vigore, quaſi præveniente naturam, ſivè Divini diſpoſitione conſilii, non eſt ita facilè aſſerendum, accidiſſe de facto, quando nullum aliud adeſt id aútumandi motivum. Addimus ultra, eandem vigere difficultatem, ſivè illum genuerit undecimo, ſivè ſequentibus annis uſque ad viceſimum; ad quam rectè dici poteſt, quod Salomon in ſex ultimis annis ſuæ vitæ antecedenter ad mortem, ſenex poterat nominari relativè ad præteritum tempus ætatis, ut generatìm contradividitur ſenectuti, eos annos medios complectens, undè incipiunt homines jàm ſeneſcere.

Illud autem hìc ſubiicere non omit-

omittam, oblectamenta mulierum Regem verè eximium inter alios vehementer magnificatum divitiarum cupia, radiantis gloriæ fulgore,& quod majus eſt,ſapiētię amplitudine, ut nullus ei ſimilis fuerit, nec extiturus eſſet, ad tantam induxiſſe perniciem, ut Idola Dęmonum coleret, ne eas, quas pluris faciebat, quam Deum, contriſtaret: fanum inter alia erexit Chamos, Idolo Moab, & Moloch, Idolo filiorum Ammon in Monte Oliveti è regione Templi; atque adeò incertiſſimum nobis fuerit de æterna illius ſalute. Quamquàm Hieronymus ſuper Ezechielem cap. 43., eum pœnitentiam egiſſe autummet: Idemque referat, Hebræos tradere, illum fuiſſe Hieroſolymis per plateas pœnitentiæ cauſa quinquies tractum; Ambroſius etiam in eadem Hieronymi verſatur opinione. De his tamen, quæ ſola Dei revelatione poſſunt eſſe cognita, aliorum eſtò judicium: nobis ſufficiat, effrænem ſui

ſen-

ſenſus illecebram latum ambigendi aditum aperuiſſe.

Sepulto Salomone in Civitate David Patris ſui (anno ſcilicet 3029., ut vidimus,) regnavit Roboam filius ejus pro eo tertii Regum cap. 11. in fine, cumque quadraginta, & unius anni eſſet cùm regnare cœpiſſet, & regnaſſet decem & ſeptem annis, ut habetur cap. 14. verſ. 21., & ſecundi Paralipomenon cap. 12. verſ. 12., fit indè, quod natus ſit anno Mundi biſmilleſimo nongenteſimo octogeſimooctavo, & quod decimuſſeptimus annus Regni ipſius erat Roboam mors 3046. annus Mundi termilleſimus quadrageſimusſextus.

Sepulto Roboam (anno ſcilicet Mundi 3046.) cum patribus ſuis in civitate David, ut tertii Regum cap. 14. in fine, & ſecundi Paralipomenon cap. 12. in fine, regnavit Abiam filius ejus pro eo. Cum autem tribus annis regnaverit, tertii Regum cap. 15. verſ. 2., & ſecundi Paralimenon cap. 13.

verſ.

Abiam mors 3049. verſ.2.,fit indè,quod tertius annus ejus fuerit annus Mundi termilleſimus quadrageſimuſnonus.

Sepulto Abiam in Civitate David (anno ſcilicet Mundi 3049.) tertii Regum cap. 15. verſ.8., & ſecundi Paralipomenon. cap. 14. regnavit Aſa filius ejus pro eo; cum autem quadraginta, & uno anno regnaverit, ut tertii Regum ibidem dicitur, nec diſcrepat ſecundi Paralipomenon cap. 16. verſ.17.,ubi dicitur,quod mortuus ſit anno quadrageſimoprimo Regni ſui, fieret indè, quod ultimus hic annus Regni ſui eſſet annus Mundi termilleſimus nonageſimus. Quia tamen ſecundum eruditam ſupputationem Richardi à Sancto Victore tract.ad D.Bernardum, tertius annus Abiam fuit etiam primus regnandi Aſa,quia ſcilicet Abiam ſuum tertium non complevit, hinc fit, quod ſuppoſita additione trium annorũm Regni Abiam ſuper addendi ſint ſolum quadraginta anni Regni Aſa; qui

qui proindè regnavit ad annum, uſque Mundi termilleſimum octogeſimum nonum. Aſa mors 3089.

Pro quo, aliiſque ſequentibus enodandis tricis, neceſſariò advertendum venit in præſenti ex eodem Richardo, quod cum diviſum fuerit Salomonis Regnum in ſuorum criminum pœnam, tranſieritque poſt ejus mortem in Reges Juda, quorum nos ſeriem trahimus,) & in Reges Iſrael, inter utriuſque Regni Reges aliqua apparens inveniatur in Scriptura contradictio circa ipſorum conregnantium tempora. Si enim unus Rex Iſrael, v. g. Baaſa ponitur incepiſſe regnare tertio anno Aſa Regis Juda, & vigintiquatuor annis regnavit, utique regnavit uſq; ad viceſimumſeptimū Regni Aſa, quamquàm illum non expleverit; quomodo ergò fieri poteſt, quod Hela filius Baaſæ viceſimoſexto anno Aſa regnare cœperit? Ad hujus ergò, & ſimilium, adhùc in eodem Regno Judæ diſſonantiam au-

auferendam, eſt recurſus habendus ad hoc, quod unus annus ſecundùm medietates competat aliquando duobus Regnantibus, ità quod modo tribuatur priori, modò poſteriori. Poterat inſuper filius aſſumi à patre ad regnandum ità, ut tempus aſſumptionis tribuatur ſoli patri, ſi ſolus pater exerceat regalem poteſtatem: vel tribuatur ſoli filio, ſi pater propter corporis, ſeù etiam mentis infirmitatem otio vacet: vel patri tribuatur, & filio, ſi communiter negotia tractent, & contra diverſos Rebelles, ſivè ſimul, ſivè ſeparatìm Regnum defenderint. Fieri inſuper poterat, ut tradit etiam Cajetanus 4. Regum cap. 3., quod pater ad prælium pergens, ne in caſu mortis oriretur diſſenſio circa ſucceſſorem, ex tunc nominabat, & ſubrogabat ſibi filium in Regem. Vel tandem, ſecundùm alios, quia filii præerant aliis Civitatibus, ut Proreges. Hujuſque doctrinæ Richardus profitetur, conſuluiſſe

per

per Judæos Judæorum ſcripta, & tàm eorum, quam noſtra in unam concurrere ſententiam; abſit enim, quod in Divinis Scripturis veritas uſque adeò aberraverit, ut omninò recuperari non poſſit. Manifeſtum indè quaſi ad oculum reddit in ſecunda, quam ſtatuit tabulam, ut tempora regnantium in Iſrael cum regnantibus in Juda conciliet, à Roboam Rege Juda ad Achaz uſque incluſivè effluxiſſe biſcentum quinquaginta annos; ideòque annos biſcentum quinquagintaquatuor, qui ex Sacra Scriptura calculari poſſent, præfatis de cauſis ad eos biſcentum quinquaginta eſſe reducendos, ut etiam in noſtro proſequemur progreſſu. Interim

Cum de annis Aſa Regis Judæ dixerimus, obiter ſubdendum eſſe videtur, quod ſi Baaſa Rex Iſrael anno illius tertio regnare cœpit, ſolumque regnavit annis quatuor & viginti, ut tertii Regum cap. 15. verſ. 33. dicitur, jàm non pervenit

H ad

ad triceſimumſextum annum Regni Aſa. Quid ergò dicitur ſecundi Paralipomenon cap. 15. in fine: bellum verò non fuit uſque ad trigeſimumquintum annum Regni Aſa, & immediatè ſubditur cap. ſeq., anno autem trigeſimoſexto Regni ejus aſcendit Baaſa Rex Iſrael in Judam, & muro circumdabat Rama? An forſan pro trigeſimo legere oportet viceſimum, ut voluerunt Cajetanus, & Cano? Neutiquàm. Et quidem ſi legeretur: non fuiſſe bellum inter Aſa, & Baaſa uſque ad viceſimum annum Regni Aſa, quo aſcendit Baaſa circundans Rama, non ſalvaretur inter Aſa, & Baaſa bellum fuiſſe cunctis diebus eorum, ut bis dicitur tertii Regum cap. 15. Quapropter triceſimuſquintus, & ſextus annus, qui loco Paralipomenon ponitur, numerandus non eſt à tempore, quo Aſa ipſe regnavit, ſed à tempore, quo poſt Salomonem Regnum Juda, ut diſtinctum accipiebatur à Regno Iſrael:
cum-

cumque in tricesimoquinto, & ſexto anno regebat illud Aſa, idcircò vocabatur Regnum Aſa; non enim ibi dicitur in triceſimoquinto, & ſexto anno, quo regnaverat, ſeù regnare cœperat Aſa, ſed in triceſimoquinto, & ſexto anno Regni Aſa.

Sepulto Aſa cum patribus ſuis in civitate David ex tertii Regum cap. 15. verſ. 24. & ſecundi Paralip. cap. 16. verſ. 13. regnavit Joſaphat filius ejus pro eo. Cum autem, ut habetur tertii Regum cap. 22. verſ. 42. & ſecundi Paralip. cap. 20. verſ. 31., vigintiquinque annis regnaverit, qui, ſi addantur termille octoginta novem annis Mundi, ex quibus poſt regimen Aſa ſui patris regnare cœpit, ad ſummam vergunt triummillium centum quatuordecim annorum, fit quod ultimus annus Regni ejus fuerit annus Mundi ter- Joſaphat mors 3114.
milleſimus centeſimus quartuſdecimus.

Sepulto Ioſaphat cum patribus

ſuis in civitate David, regnavit Joram filius ejus pro eo tertii Regum cap. 22. verſ. 51. & ſecundi Paralip. cap. 21. in principio. Regnavit autem Joram octo annis, quarti Regum cap. 8. verſ. 17., & ſecundi Paralip. cap. 21. verſ. 5. ſepulto etiam Joram in civitate David quarti Regum cap. 8. verſ. 24. & non in ſepulchro Regum, ut additur ſecundi Paralip. cap. 21. in fine, regnavit Ochozias filius ejus pro eo, qui erat minimus natu, quia majores interfecerunt latrones Arabum, ut ſecundi Paralip. cap. 22. in principio dicitur. Regnavit autem uno anno, ut ibidem traditur verſ. 2. quarti Regum cap. 8. verſ. 26.

Verùm circa hos duos Reges difficultas emergit bifariam aculeata, quam Cajetanus, & Maluenda inſolubilem planè nominant quæſtionem. Trigintaduorum annorum erat Joram cum regnare cœpiſſet, & octo annis regnavit, quarti Regum cap. 8., Undè quadra-

draginta annorum mortuus eſt. Quomodo ergò ſecundi Paralip. cap. 22. verſ. 2. dicitur, quod Ochozias filius Joram, qui regnavit pro Joram, eo ſepulto cap. præcedente in fine, quadragintaduorum annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & uno anno regnavit? Hinc enim manifeſtè ſequitur, quod Ochozias filius duobus annis eſſet antiquior ſuo patre, quod eſt impoſſibile: vel certè Joram regnavit pluribus octo annis, ut ità potuiſſet, genuiſſe Ochoziam. Rursùs Ochozias, qui loco Paralip. adducto traditur, quadraginta duos annos natus regnaſſe uno anno, qua ratione quarti Regum cap. 8. verſ. 26. dicitur, quod vigintiduorum annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & uno anno regnavit in Jeruſalem?

Cajetanus, quem cum aliquibus ſequitur Torniellus ad annum 3149. reſpondet, negligentia librariorum corruptum eſſe textum Paralip., legendumque eſſe, viginti duorũ annorũ erat Ochozias, cum

regnare cœpiſſet. Sed, præterquam-quod Rabbini eandem lectionem retinent, poſt decretum Tridentini de non reiicienda vulgata editione quantum ad ſingulas ejus partes, præfata reſponſio non videtur ampliùs ſuſtinenda.

Genebrardus verò lib. 1. pag. 125., & Serarius in quarti Regum cap. 10. aliter occurrunt dicendo, quod anni quadraginta duo non ſint accipiendi ab Ortu Ochoziæ, ſed à toto tempore, quo in Iſrael viguit Regnum Amri, qui fuit ejus avus ex parte matris; nàm Amri regnavit ſex annis (dominatu pleno, & perfecto, in univerſum ſcilicet Iſraelem, ut reſtringitur verbis illis tertii Regum cap. 16. verſ. 23. regnavit Amri ſuper Iſrael duodecim annis, in Therſa regnavit ſex annis) Achab filius ejus vigintiduobus, Ochozias filius Achab duobus, Joram frater hujus Ochoziæ duodecim, ex quibus omnibus conſurgit numerus quadraginta duorum annorum. Noſter verò

Gra-

Gravina contr.3.ſpeciali de verbo Dei ſcripto art. 3. inquit, expoſitionem videri violentam; quia de ætate Ochoziæ eſt ſermo in libro Paralip., non autem de ætate Regni in familia Amri.

Propterea alii dicunt, quod Joram pater Ochoziæ octo annis regnavit ſolus, poſt quos (dùm filius Ochozias erat vigintiduorum annorum) ultrà regnavit cum filio Ochozia viginti annis: quibus expletis, & ipſe erat ſexaginta annorum, & filius Ochozias quadraginta duorum; Et uno anno poſt mortem patris regnavit. At hujuſmodi reſponſio ſubſiſtere non poteſt; ſiquidem ſupra computum annorum omnium regnantium in Juda, qui ex Sacra Scriptura colligitur, augentur viginti anni: qui ſubindè computus omninò diſcordat ab annis aliorum Regum Iſrael conregnantium cum Regibus Juda. Quod hac ratione conabor evincere à decimoſeptimo anno Regni Joſaphat, à quo conre-

in ſecundi Paralip. cap. 22. non fieri ſermonem de annis quadragintaduobus ab Ortu Ochoziæ, ſed à tempore, quo viguit Regnũ Amri; eoquod Ochozias, qui erat de ejus ſemine, ejuſdem mores ſequutus contingerit,ut occideretur cum Ioram Rege Iſrael; ac proindè prædictorum ſenſus verborum eſt, quadragintaduorum annorum erat regnans Ochozias in ſuis progenitoribus,& uno anno in ſeipſo regnavit. Undè illud quarti Regum cap.8. vigintiduorum annorum erat Ochozias, dùm regnare cœpiſſet, exponitur à Maluenda: ideſt dùm ageretur annus quadrageſimusſecundus, ex quo domus Amri regnare cœpit.

His itàque in pace ſedatis, ad rem noſtram, ut deveniamus, addendum,ut jàm indicavimus,quod ultrà vigintiquinque annos Ioſaphat ſolum quatuor ſuperaddendi ſint ex illis octo, qui attribuuntur Ioram ejus filio, ac quintus partìm ei partìm Ochoziæ filio

ejuſ-

ejuſdem Ioræ. Si enim Iehu occidit Ioram Regem Iſrael undecimo Regni ejus anno expleto, ut ſupra tradidimus, jàm illum occidit quinto anno poſt mortem Ioſaphat, qui vigintiquinque annos regnavit, quorum decimusnonus fuit primus undecim annorum Ioram. Eodem autem tempore occiſus fuit Ochozias filius Ioram Regis Iuda. Undè Ioram Rex Iuda, ejuſque filius Ochozias quinque annis regnarunt poſt Ioſaphat mortem. Sic etiam omnia conſonant; nàm quod quarti Regum cap. 8. verſ. 16. anno quinto Ioram filii Achab Regis Iſrael, & Ioſaphat Regis Iuda (dùm ſcilicet regnaret Ioſaphat Rex Iuda, non quod eſſet quintus annus Regni Ioſaphat) regnavit Ioram filius Ioſaphat Rex Iuda, optimè componitur cum morte ejuſdem Ioræ Regis Iſrael, quæ accidit anno undecimo Regni ejus expleto: & ſimul conciliatur, quod Ioram Rex Iuda octo regnaverit annis. Si
enim

enim primus annus Ioram Regis Iſrael, ex quo regnavit ſolus, fuit decimuſnonus expletus Ioſaphat, quintus ejus fuit viceſimustertius expletus Ioſaphat, qui & in ejus principio fuit primus octo annorum Ioram Regis Iuda, in quorum ultimo regnavit Ochozias filius Ioram Regis Juda, qui mortuo Joram Rege Iſrael, & ipſe ſimul interfectus eſt.

Sed inquies, quomodò Joram Rex Juda dicitur regnaſſe quinto anno Joram Regis Iſrael, ſi regnavit antecedenter ad Joram Regem Iſrael? nàm quarti Regum cap. 1. verſ. 17. Hic traditur regnaſſe anno ſecundo Joram filii Joſaphat Regis Judæ. Reſpondemus ex Cajetano ſuper caput tertium: creditur autem, qucd Joſaphat pergens ad prælium cum Achab contra Syros ad recuperandum Ramath Gaalad, ut tertii Regum cap. 22. (de quo ſecundi Paralip. cap. 19. à Jehu Propheta reprehenditur, utpotè impio præbuiſſet au-

auxilium) ſubrogavit Joram filium in Regem decimoſeptimo, ſcilicet Regni ſui anno: cui poſt modum à viceſimo tertio ſui patris anno inceperint aſcribi octo anni regiminis, cum, patre concedente, regia poteſtate uſus fuit, Regni negotia ſimul cum eo tractando, ut rectè priùs docuerat Richardus à Sancto Victore. In idem ferè incidit Serarius quarti Regum cap. 8. Remanet igitur a primo ad ultimum, quamvis hoc poſtremùm ad rem noſtram non penitus faciat, quod ſupra viceſimumquintum annum Joſaphat, adeòque ſuper annum Mundi termilleſimum centeſimum quartumdecimum uſq; ad mortem Ochoziæ addendi ſint quinque anni, Patre ejus Ioram defuncto aliquibus menſibus antecedenter ad ipſum. Undè mors Ochoziæ accidit anno Mundi termilleſimo centeſimo decimonono.

Ochoziæ mors 3119.

CA-

Iſrael nõ perveniſſet in duocecimo ſui Regni anno ad regnandum in anno, quo poſt mortem ſui patris, Ochozias Rex Iuda regnavit, cujus oppoſitum traditur quarti Regum cap.8., ubi verſ.24., ſepulto Ioram cum patribus ſuis in civitate David, dicitur: & regnavit Ochozias filius ejus pro eo; ſtatimque ſubditur, anno duodecimo Ioram filii Achab Regis Iſrael regnavit Ochozias filius Ioram Regis Iudæ. Inſuper ſub eodem tempore Ochozias Rex Iuda, & Ioram Rex Iſrael à Iehu interfecti ſunt quarti Regum cap. 9.; Ochozias enim Rex Iuda videns Ioram Regem Iſrael à ſagitta Iehu percuſſum, & projectum in agrum, fugit per viam domus horti, &c. & percuſſerunt eum in aſcenſu Gaver, qui eſt juxtà Ieblaam, qui fugit in Mageddo, & mortus eſt ibi. At qui hoc accidit anno undecimo ejuſdem Ioram, in quo venit Iehu in Iezrahel ad invadendum Ioram: qui eſt idem, ac duodecimus, ſi ac-

cipiatur ex quo cum fratre Ochozia cœpit regnare, duodecim, ſiquidem annis quarti Regum cap. 3. in principio regnavit, quorum primus fuit à decimooctavo Ioſaphat Regis Iuda. Non ergò à tali anno decimooctavo tranſierunt pluſquàm duodecim anni. Undè

Putant alii ab his involucris ſe expeditos, ſi viginti anni, qui adduntur regimini Ioram, addantur antecedenter ad octo circiter annos, quibus regnaſſe aſſeritur in Scriptura, quaſi compenetrati cum annis Ioſaphat: hoc modo videlicet, quod dùm eſſet triginta duorum annorum, cœperit regnare viginti annos ad viceſimumquintum uſque Ioſaphat annum, ſupra quem ex aliis octo, quibus regnaſſe dicitur, ſolum quatuor ſunt addendi cum quinto incepto, & incompleto, ut nos etiam fatebimur cum communi conſenſu; undè cum defunctus fuerit quinquageſimo ſeptimo ſuæ ætatis anno, dùm Ochozias ejus filius eſſet qua-

dra-

dragintaduos annos natus, benè potuit ipſum genuiſſe.Sic ferè reſpondet Magiſter Gravina. Verùm eſto ſalvet illud Paralip., quadragintaduorum annorū erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet, & uno anno regnavit, non videtur in primis quomodò ſalvet illud tertii Regum, quod erat vigintiduorum annorum,cum regnare cœpiſſet,& uno anno regnavit,niſi fortè aſſeratur, quod & ipſe Ochozias inceperit regnare viginti annis retrorsùm cum patre Ioram, imò etiam partìm cum Ioſaphat avo, ut conſideranti fiet manifeſtum;& tunc qua ratione abſque ulla conectitur violentia,quod uno anno regnaverit?Id tamen quod evidentius me à præfato retraxit modo conciliandi hanc rem, eſt quod Ioſaphat tàm tertii Regum cap. 22.,quam ſecundi Paralip.cap.20. traditur; trigintaquinque annorum fuiſſe, cum regnare cœpiſſet; undè in quinto ſui Regni anno erat quadraginta annorum, quo-

CAPUT 10.

De Reliquorum Regum ſubſequentium Tempore.

MOrtuo Ochozia in Mageddo, & ſepulto cum patribus ſuis in civitate David quarti Regum cap. 9. verſ. 28., & ſecundi Paralip. cap. 22. verſ. 9. regnavit Athalia mater Ochoziæ ſex annis, interfectis priùs ad tyrannicè regnãdum omnibus filiis Ochoziæ, præter Ioas abſconditum, & clàm ſubreptum à Joſabeth filia Regis Joram, ac ſorore Ochoziæ, quarti Regum cap. 11, & ſecundi Paralip. cap 22. in fine. Ultimus ergò annus Regni Athaliæ fuit annus Mundi termilleſimus centeſimus viceſimuſquintus. Septimo anno coronatus eſt Rex Ioas, filius Ochoziæ: quem cum vidiſſet Athalia ſtantem ſuper gradum in introitu (acceſſerat enim in Templum) ſcidit veſtimenta ſua, & ait Athaliæ finis 3125.

in-

inſidiæ inſidiæ! Sed juſſu Jojadæ Pontificis, à templo expulſa, gladio interfecta eſt, quarti Regum cap. 11. & ſecundi Paralip. cap. 23. Cum autem regnaſſet Ioas quadraginta annis, quarti Regum cap. 12., & ſecundi Paralip. cap. 24., ſit indè, quod ultimus annus Regni ejus fuerit annus Mundi termilleſimus centeſimus ſexageſimusquintus. Eo autem mortuo, & ſepulto cum patribus ſuis in civitate David quarti Regum cap. 12. in fine, ſed non in ſepulchris Regum ſecundi Paralip. cap. 24 circa finem, regnavit Amaſias filius ejus pro eo vigintinovem annis, quarti Regum cap. 24., & ſecundi Paralip. cap. 25.; undè ultimus annus Amaſiæ fuit annus Mundi termilleſimus centeſimus nonageſimusquartus. Interfecto Amaſia in Lachis, eoque ſepulto in Jeruſalem cum patribus ſuis, ab univerſo populo Judæ conſtitutus eſt Rex Azarias annorum ſexdecim pro patre ejus, quarti Regum cap. 14. verſ.

Joas mors 3165.

Amaſiæ mors 3194.

verſ. 21., & ſecundi Paralip.cap. 26.in principio, ubi & Ozias vocatur. Cum autem, ut traditur quarti Regum cap.15.verſ.2.& ſecundi Paralip. cap. 26. verſ. 3., regnaverit quinquaginta duobus annis, fit indè, ultimum annum Regni ejus fuiſſe annum Mundi termilleſimum ducenteſimum quadrageſimumſextum. Azariæ mors 3246.

Duæ ſe afferunt inſtantiæ in præſenti ſolvendæ;& prior procedit, eoquod Jeroboam ſecundus, Iſrael Rex regnavit anno quintodecimo Amaſiæ Regis Juda,ut ſecundi Regum cap. 14. verſ.23. exprimitur; Azarias autem filius Amaſiæ quarti Regum cap.15. viceſimoſeptimo anno Jeroboam Regis Iſrael regnavit:& ex quo finivit regnare pater, non vacavit Regnum; nàm cap.14.eo ſepulto in civitate David, tulit univerſus populus Judæ Azariam annos natum ſedecim,& conſtituerunt Regem pro patre ejus Amaſia. Undè ſequitur Amaſiam non ſolum regnaſſe

gnaſſe vigintinovem annis, ſed quadragintauno anno; ſiquidem quindecim, & vigintiſex anni talem conficiunt ſummam. Reſpondet benè Cajetanus Jerobaam quintodecimo anno Amaſiæ regnaſſe, ut ſuccedens ſuo patri Ioas; cum quo tamen ſtat, quod duodecim annis ante corregnaverat priùs cum ſuo patre. Cujus ſignum eſt, quod verſus finem cap. 14., conſumptos Iſrael tempore Joachaz, avi ejus, Dominus ſalvavit in manus Jeroboam filii Ioas. Viceſimusſeptimus ergò annus Jeroboam, quo Azarias filius Amaſiæ mortuo ſuo Patre cœpit regnare, ſupputatur à primo anno, ſeù ab initio, quo Jeroboam vivente Joas, ſuo patre duodecim annis ſimul cum eo regnavit.

Secunda proponitur inſtantia à D. Thoma 3. p. qu. 31. art. 3. militatque adversùs tres Reges medios inter Ioram, & Azariam, qui & Ozias nominatur. Matthæus enim in genealogia Chriſti inquiens:

Io-

Ioram autem genuit Oziam, eorum non meminit.Si ergò non interceſſerunt Ochozias, Ioas, & Amaſias, neque anni regiminis eorum, imò nec Athaliæ, quos recenſuimus,effluxerunt. Reſpondet Angelicus: dicendum, quod ſicut Hieronymus ſuper Matthæum dicit,quia Joram Rex generi ſe miſcuerat impiiſſimæ Jezabelis, idcircò uſque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in Sanctæ Nativitatis ordine poneretur.Et ità,utChryſoſtomus dicit, quanta benedictio facta eſt ſuper Jehu, qui vindictam fecerat ſuper domum Achab, & Jezabel, tanta eſt maledictio ſuper domum Joram propter filiam iniquã Achab, & Jezabel, ut uſque ad quartam generetionem præcidantur filii ejus de numero Regum, ſicut ſcriptum eſt Exodi 20.reddam peccatum parentum in filios uſque ad tertiam,& quartam generationem. Per hæc quaſi dicat, tres illas generationes juſta de cauſa omitti à

Mat-

Matthæo, quaſi negativè, non autem poſitivè negari. Ne autem replicetur, pariter non debuiſſe alios Reges adduci, qui fuerunt ſimiliter peccatores, inquit: non fuit eorum continua impietas, nàm ut dicitur in lib. 9. veteris, & novi Teſtamenti, Salomon merito patris ſui dimiſſus in Regno eſt, Roboam merito Aſa filii ſui; horum autem trium continuavit impietas.

Quænam autem fuerit filia iniqua Achab, per quam D Thomas inquit ex Hieronymo: Joram ſe miſcuiſſe generi impiiſſimæ Jezabelis, illam ſcilicet in uxorem ducendo, quarti Regum cap. 8. verſ. 15. firmum eſſe debet, fuiſſe Athaliam, quæ expreſsè cap. 11. dicitur mater Ochoziæ filii pariter Joræ. Quamquàm enim cap. 8. verſ. 26. Athalia dicitur filia Amri, Amri, qui fuit pater Achab, fuit ejus avus; & ut tradit noſter Ugo Cardinalis, mos eſt Scripturæ, quod quandoque tranſgreditur patrem, & ac-

& accipit avum, ſicut dicitur, quod Iehu fuit filius Namſi, & tamen fuit filius Joſaphat, filii Namſi. Sic etiam Chriſtus vocatur filius David, filius Abrahæ, &c. Alia, quæ in contrarium obiicit Poſſiuus, ſoluta videantur apud Cardinalem Capizuccum contr. 17. §. 14.

Sepulto Azaria cum majoribus ſuis in civitate David quarti Regum cap. 15. verſ. 6. ſeù in agro Regalium ſepulchrorum ſecundi Paralip. cap. 26. in fine, cum eſſet leproſus (qua pœna punitus fuit à Deo, eo quod temerè auſus fuit adolere incenſum Domino, quod non erat ſui muneris, quamquàm regia fulgeret dignitate) regnavit Ioatham filius ejus pro eo ſedecim annis in Jeruſalem, quarti Regum cap. 15. verſ. 33., & ſecundi Paralip. cap. 27. verſ. 1. Illud enim, quod cap. Regum adducto verſ. 30. dicitur, quod Oſee filius Ela regnavit ſuper Iſrael in Samaria pro Phacee, quem interfecit, anno viceſimo Joatham, explicatur prout

eſt

eſt idem, ac ab anno viceſimo à Regno incepto à Joatham, ideſt anno quarto Achaz; ſed tempus deſcribitur à ſuperiore Rege, ſivè quia Scriptura nullam adhùc mentionem fecerat Achaz, ſivè quia tunc indignabatur eundem impium Regem nominare, ideòque potiùs Patrem mortum nominavit, qui nonniſi alioqui regnavit annis ſedecim. Videri poteſt Genebrardus lib. 1. pag. 134., & Maluenda; qui tamen ſubdit: alios exponere annũ viceſimum Ioatham ab eo tempore, quo regnavit vivente Patre Azaria; nàm ipſe gubernabat palatium, & judicabat populum terræ, dùm Azaria, utpotè leproſus habitabat in domo libera ſeorsùm, ut habetur quarti Regum cap. 15. verſ. 5. & ſecundi Paralip. cap. 26. num. 21. Verumtamen obſervandum, quod orta conjuratione Oſee contra Phacee, quem interfecit, Rex Aſſyriorum perſecutus fuit Oſee, qui & fuit indè illius tributarius per octo annos,

nos,ex quo primò cœpit regnare ſuccedens Phacee: ſeù, ut placet Cajetano, ſedes regia fuit ſine Rege, ità quod interruptum fuerit Regnum Oſee. Mortuo autem Rege Aſſyriorum, duodecimo anno Achaz Regis Juda cœpit regnare ſolus, & de hoc ſecundo exercitio regiminis ſcribitur cap. 17. ſequente, dùm dicitur: anno duodecimo Achaz Regis Juda, regnavit Oſee filius Ela in Samaria. Undè, ſi ante hos annos octo, diximus ex cap. 15. Oſee cœpiſſe primò regnare anno viceſimo Joatham, non videtur, quod annus viceſimus Joatham fuerit ultimus ejuſdem Joatham, ex quo regnavit vivente Azaria patre leproſo, ſed quartus Achaz, à quo uſque ad duodecimum ejuſdem Achaz octo tributariæ ſedis intercedunt anni. Utcunque fuerit ſedecim ſolum anni addēdi ſunt Joatham ſupra quinquagintaduos Azariæ, & ſupra ter mille biſcentum quadragintaſex annos Mundi; undè fit, ulti-

Joathã mors 3262. mum annum Regni ejus fuiſſe annum Mundi termilleſimum ducenteſimum ſexageſimum ſecundum.

Sepulto Joatham cum patribus ſuis in civitate David, regnavit Achaz filius ejus pro eo quarti Regum cap. 15. in fine, & ſecundi Paralip. cap. 27. in fine. Cum autem ſedecim annis regnaverit, quarti Regum cap. 16. verſ. 2., & ſecundi Paralip. cap. 28., fit indè, quod

Achaz mors 3278. ultimus annus Regni ejus fuerit annus Mundi termilleſimus ducenteſimus ſeptuageſimuſoctavus.

Sepulto Achaz cum patribus ſuis in civitate David, regnavit Ezechias filius ejus pro eo, quarti Regum cap. 16. in fine, & ſecundi Paralip. in fine. Quamvis autem regnaſſe dicatur vigintinovem annis quarti Regum cap. 18. verſ. 2., & ſecundi Paralip. cap. 29. verſ. 1., ſolum tamen ſunt addendi vigintiocto anni ſupra annos Achaz ejus patris, cujus ultimus annus fuit etiam primus vigintinovem

Eze-

Ezechiæ. Idque deduco, nedùm ex ſecunda tabula Richardi à Sancto Victore, ſed etiam quia quarti Regum cap. 17. Oſee Rex Iſrael anno duodecimo Achaz regnavit, & tamen cap. ſeq. Ezechias filius Achaz regnavit anno tertio Oſee. Non ergò Ezechias regnavit expletis ſedecim annis Achaz, ſed ad ſummum expleto quintodecimo; Undè, cum ex vigintiocto annis additis ſupra termille biſcentum ſeptuagintaocto annos Mundi aſcendat ſumma ad termille trecentos ſex annos, fit, ultimum annum Regni Ezechię fuiſſe annum Mundi termilleſimum trecenteſimum ſextum. Ezechiæ mors 3306.

Mortuo Ezechia, quarti Regum cap.20.in fine; & ſepulto cum patribus ſuis ſuper ſepulchra filiorum David, ſecundi Paralip.cap. 32.in fine, regnavit Manaſſes filius ejus pro eo. Cumque regnaſſet quinquagintaquinque annis, ut cap.ſeq. Regum, & Paralip, traditur, fit indè, quod ultimus annus

Manaſſis mors 3361. Regni ejus fuerit annus Mundi termilleſimus trecenteſimus ſexageſimuſprimus.

Sepulto Manaſſe in horto domus ſuæ, quarti Regum cap. 21. verſ. 18., & ſecundi Paralip. cap. 33. verſ. 20. regnavit Amon filius ejus pro eo. Cumque regnaverit duobus annis, ut iiſdem locis dicitur verſ. ſeq., fit indè, quod poſterior annus Regni ejus fuerit annus

Amonis mors 3363. Mundi termilleſimus trecenteſimus ſexageſimuſtertius.

Interfecto Amone in domo ſua regia à ſervis ſuis, qui tetenderunt ei inſidias: & ſepulto in ſepulchro ſuo in horto Oza, regnavit Joſias filius ejus pro eo, quarti Regũ cap. 21. à verſ. 23., & ſecundi Paralip. cap. 33. in fine; qui, cum regnaverit triginta & uno anno, ut capit. ſeq. in principio traditur, fit in-

Joſiæ mors 3394. dè, quod ultimus annus Regni ejus fuerit annus Mundi termilleſimus trecenteſimus nonageſimuſquartus.

Interfecto Joſia in Mageddo, qui

qui ad prælium exiverat in occurſum Pharaonis Nechao, Regis Ægypti, & ſepulto in Jeruſalem in ſepulchro ſuo, quarti Regum cap.23.à verſ.29.: ſeù in Mauſoleo patrum ſuorum, ut ſecundi Paralip. cap.35. verſ.24. traditur, unctus eſt in Regem Joachaz filius ejus pro eo; qui tamen tribus menſibus regnavit, quia amovit eum Rex Ægypti, conſtituitque Regem pro Joſia alterum filium Joſiæ Eliacim fratrem Joachaz, vertitque nomen ejus Joakim, quarti Regum cap.23. à verſ.31., & ſecundi Paralip. cap. 36. Qua de cauſa putat Chryſoſtomus apud D.Thomam in Catena à Matthæo cap.1.in Chriſti Genealogia non adduci, quia ſcilicet non populus Dei conſtituerat eum in Regem, ſed Pharao per potentatum. Si enim juſtum fuit,ut propter ſolam commiſtionem generis Achab tollerentur tres Reges de numero Regum, quare non erat juſtum, ut ſimiliter tolleretur Joakim, quem

Pharao vi hoſtili fecerat Regem? Quamquàm verò nomine Jechoniæ non videatur ab Evangeliſta ſuppreſſus Joakim filius Joſiæ, ſed tàm ipſe, quam ejuſdem filius appellatus Joachin, ſignificari poſſint; quippè qui ambo dicti ſint Jechonias; atque tàm prior vinctus catenis à Rege Chaldæorum, ſecūdi Paralip, cap. 36. verſ. 6., quam poſterior ab eodem Rege ductus fuerit cum matre, uxore, eunuchis, & judicibus terræ in captivitatem de Jeruſalem in Babylonem, quarti Regum cap. 24. verſ. 15.; qua ratione uterque à Matthæo ſignificari potuit ad majorem fructum Divinæ pietatis aſtruendum; generis enim nobilitatem Dominus in hominibus non requiſivit, ut inquit Ambroſius cap. 3. ſuper Lucam, ſed de captivis peccatoribus congruè naſci voluit, qui remiſſionem veniebat prædicare captivis. Putaverim tamen, quod pro Iechonia eo in Evangelio non uſurpetur Ioakim, ut generans, ſed eo

po-

potiùs ſuppreſſo ſecundum acti-
vam generationem, exprimatur
Ioachin nepos Ioſiæ, qui & Iere-
miæ cap. 22. verſ. 24. & cap. 24.
verſ. 1. dicitur filius Ioakim, & cap.
29. verſ. 2. de eodem aſſeritur, ut in
quarti Regum cap. ſuperiùs citato,
quod egreſſus ſit de Ieruſalē cū Do-
mina, & Eunuchis, & Principibus
Iuda; inquit enim Matthæus: &
poſt tranſmigrationem Babylonis
Iechonias genuit Salathiel; quem
conſtat primi Paralip. cap. 3. verſ.
16., non habuiſſe pro patre Ioa-
kim, ſed ejus filiū vocatum ibidem
Iechonias, qui proindè, ut gene-
rans recenſetur ab Evangeliſtâ.
Quidquid ſit, quod ut perſona ge-
nita in verbis illis antecedenti-
bus: Ioſias autem genuit Iecho-
niam, & fratres ejus in tranſmi-
gratione Babylonis, non veniat
Ioachin nepos Ioſiæ, ſed Ioakim
filius, qui plures alios habuit fra-
tres, ſcilicet tres, primi Paralip.
cap. 3. verſ. 15., & tamen ibidem
Iechonias, ſeù Ioachin ſolum ha-

buit unum fratrem, ſcilicet Sedeciam. At quomodò dicatur Iechonias genuiſſe Salathiel, cum Ieremiæ cap. 22. in fine dicatur vir ſterilis? Facilè reſpondemus cum Cajetano, vocari virum ſterilem non abſolutè, ſed quo ad ſucceſſorem Regni temporalis, quo privatus fuit à Rege Babylonis; cum tamen eodem cap. verſ. 28. ei aſcribantur filii in captivitate generandi; dicitur namque abiecti ſunt ipſe, & ſemen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt. Verùm iſta ad Sacrorum Expoſitores librorum magis ſpectant.

Regnavit autem, ut ad narrationis redeamus texturam, Ioakim undecim annis quarti Regum cap. 23. verſ. 36., & ſecundi Paralip. cap. 36. verſ. 5. Regnavit indè Ioachin (qui & Iechonias) filius ejus pro eo, ut dicitur tàm quarti Regum cap. 24. verſ. 8., quam ſecundi Paralip. cap. 36. verſ. 9., cum duplici tamen diſcrepantia, quod hìc dicatur: octo annorum erat Ioachin

chin cum regnare cœpiſſet, & tribus menſibus, ac decem diebus regnavit in Ieruſalem: ibi verò, decem & octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpiſſet (quod vero ſimilius eſt, nàm ſi octo ſolum fuiſſet annorum, non poſſet indè ſubdi, quod fecerit malum in conſpectu Domini) & tribus menſibus regnavit in Ieruſalem, omiſſis decem diebus. Sed quantum ad hoc ſecundum facilis eſt reſponſio, paucos dies abſque veritatis jactura omitti potuiſſe, cum verum ſit abſolutè, tribus menſibus règnaſſe, qui tribus mènſibus, & decem diebus regnavit. Quantum ad primum etiam dicitur, Ioachin octo annorum fuiſſe, cum regnare cœpit ſimul cum patre, dùm verò regnavit ſolus, eo defuncto, erat decem & octo annorum, regnavitque tribus menſibus, & decem diebus, quo tempore poterat facere malum in coſpectu Domini.

Expletis his menſibus, & diebus, venit in Ieruſalem Nabuchodono-

ſor Rex Babylonis, qui & Rex Chaldæorum,& acceptis indè omnibus theſauris domus Domini, & domus regiæ, & conciſis, aſportatiſque in Babylonem univerſis vaſis aureis, ac prætioſiſſimis, quæ fecerat Salomon in Templo Domini (quæ ſcilicet remanſerunt, nàm alia tranſtulerat priùs dùm vinctú catenis, duxerat captiuum Ioakim) translatus fuit quoque Ioachin in Babylonem, mater ejus, uxores, Eunuchi Iudices, omneſq; uiri robuſti, cęterique, exceptis pauperibus populi terræ. Conſtituit uerò Rex Babylonis Regem ſuper Iudam, & Ieruſalem Sedeciam patruum Ioachin, & undecim annis regnauit,quarti Regum cap.24 à uerſ.11.,& ſecundi Paralip. cap. 24. à uerſ. 10. Ex capite tamen 25.Regum colligi non obſcurè uidetur, regnaſſe decem annis expletis incepto undecimo; etenim ibi dicitur in primis: factum eſt autem anno nono Regni ejus (ſcilicet Sedeciæ, ut à Ieremia

cap.

cap.29.exprimitur) menſe decimo decima die menſis venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis ipſe, & omnis exercitus ejus in Ieruſalem, & circundederunt eam (Sedecias enim receſſerat à Rege Babylonis, ut in fine præcedentis capitis habetur) & extruxerunt in circuitu ejus munitiones, & clauſa eſt civitas, atque vallata uſque ad undecimum annum Regis Sedeciæ. Nona die menſis (ſubaudi quarti, ut Ieremiæ cap. 32. verſ. 6. declaratur) prævaluit fames in civitate, &c., interrupta eſt civitas, omnes viri bellatores nocte fugerunt, & fugiente Sedecia, comprehenſus eſt in planitie Iericho.

Quod verò pro menſe quarto veniat menſis quartus undecimi anni Sedeciæ (Cajetanus enim putat, fuiſſe menſem quartum in decurſu anni, qui eſt initium æſtatis; quia hujuſmodi clauſula non jungitur præcedentibus, ſed ſubſequentibus) eruitur ex eo, quod Ieremiæ cap. 29. verſ. 2. expreſsè

conjunctìm dicitur, undecimo autem anno Sedeciæ, menſe quarto quinta menſis aperta eſt civitas. Ubi non multum refert varietas quintæ diei à nona die, quæ ſcribitur tàm cap. 25. quarti Regum, quam Ieremiæ cap. 52. verſ. 6.; nàm nona dies referri poteſt, quod in ea fuerit fuga bellatorum, & Sedeciæ, quinta verò dies Ieremiæ cap. 39. ad apertionem civitatis, & ingreſſum Principum Regis Babylonis in porta media, ubi ſederunt; undè ſubditur: cumque vidiſſet eos Sedecias Rex Iuda, & omnes viri bellatores fugerunt, & egreſſi ſunt nocte de civitate per viam horti Regis, & per portam, quæ erat inter duos muros egreſſi ſunt ad viam deſerti. Uſque ad nonam igitur diem fuga accidit Regis Sedeciæ, qui proindè Rex fuit in Iuda, & Ieruſalem decem annis, tribus menſibus, & novem diebus.

In unum nunc colligendo tres menſes, quibus diximus, regnaſſe Ioachaz, undecim annos Ioakim,

tres

tres menſes, & decem dies Ioachin,ſeù Iechoniæ cum decem annis,tribus menſibus,& novem diebus Sedeciæ, ad ſummam aſcendunt viginti unius anni, novem menſium, & novendecim dierum: qui omnes ſi addantur ad annos Mundi poſtremò loco in calculum ſupra redactos, qui erant triamillia trecenti nonagintaquatuor, fit Sedeciam redactum fuiſſe in Babylonis captivitatem, coràm ipſo priùs occiſis filiis ejus, ac effoſſis oculis ſuis, ut fuerat ante ſignificatum Ezechielis cap. 12. verſ. 13., vinctus fuit catenis anno Mundi termill.quadrigẽteſimo decimoſexto,decimonono ſcilicet die menſis decimi ejuſdem anni. Quia tamen dicitur eodem cap. 25. Regum à verſ. 8. menſe quinto ſeptima die menſis, ipſe eſt annus nonuſdecimus Regis Babylonis; venit Nabuzardam Princeps exercitus,ſervus Regis Babylonis, in Ieruſalem, & ſuccendit domum Domini, & domum Regis, & domos

Ie-

Ieruſalem, omnemque domum cō-buſſit igni, & muros Ieruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum: fit, deſolationem Templi, ac civitatis accidiſſe viginti octo diebus poſt captivitatem Sedeciæ; ſiquidem à nona die menſis quarti, quando fuit in captivitatem ductus uſque ad ſeptimum diem quinti menſis, dùm accidit deſolatio, viginti octo intercedunt dies; ac proindè deſolatio Ieruſalem fuit anno Mundi termilleſimo quadrigenteſimo decimoſexto, decimoſeptimo ſcilicet die undecimi menſis ejuſdem anni. Quamquàm inveniri videtur aliqua minima differentia in capit. 25. quarti Regum, ubi præfata de Nabuzardam accidiſſe narrantur ſeptima menſis quinti, cum Ieremiæ cap. 52. facta dicantur decima menſis quinti, facilis tamen eſt compoſitio ex Cajetano; in utroque nàmque loco plures actiones ſucceſſivæ; & diviſibiles afferuntur, nimirùm adventus Nabuzar-

Deſolatio Jeruſalem 3415. menſibus 10. diebus 17.

buzardam, & combuſtio; potuit ergò fieri,quod prima evenerit die ſeptima,combuſtio verò fuerit ſaltem completa die decima, cum priùs præcedere debuerint illius ordinatio, ac inchoatio per materiæ appoſitionem.

CAPUT II.

De Septuaginta annis Babylonicæ captivitatis.

DUximus annorum ſeriem ad principium uſque deſolationis, à qua pervenire poſſimus ad Chriſti Domini noſtri Nativitatem:quandoquidem in generationibus à Matthæo adductis, ab illa Iechoniæ, ſeù Ioachin nihil certi quoad temporis intercapedinem uſque ad Ioſeph virum Virginis Mariæ ex Scriptura deducere valuimus; & ad minùs, ut habet Gloſſa in D.Thomæ aurea catena, de Abiud uſque ad Ioſeph nulla hiſtoria invenitur in Paralip., ſed

alii

alii multi annales leguntur fuiſſe apud Hebræos, qui dicebantur verba dierum, de quibus Herodes Rex alienigena dicitur, multos combuſſiſſe, ut ordo Regiæ ſtirpis confunderetur. Et forſitan Ioſeph nomina parentum ibi legerat, vel alio quoquo modo retinuerat, undè Evangeliſta ſeriem iſtius generationis poterat ſcire. Quapropter per tempus, quo deſolatio ſupra recenſita duravit, procedendum nobis erit, cum illud pluribus locis inveniatur expreſſum, & præcipuè ſecundi Paralip. cap 36. verſ. 21., ubi poſt enarratas varias afflictiones inflictas à Rege Babylonis dicitur: cunctis diebus deſolationis egit Sabbathum, uſque dùm complerentur ſeptuaginta anni; & Ieremiæ cap. 25. anno quarto Ioakim filii Ioſiæ, qui erat annus primus Nabuchodonoſor (integer, & expletus, ut opus eſt intelligi, ex eo quod Danielis primo habetur: anno tertio Ioakim Regis Iuda venit Nabuchodonoſor, & obſedit

Ie-

Ieruſalem, anno utique ſuo primo non finito) viſionem habuit Ieremias, in qua conqueritur juſtè Deus, quod ab anno tertiodecimo Ioſiæ miſerit Ieremiam, alioſque ſervos ſuos Prophetas ad populum, & noluit audire, nec reverti à via ſua mala, nec relinquere Deos alienos, ad iracundiam ipſum provocando. Propterea minatur eidem populo calamitates omnes, quas ibidem enarrat per Nabuchodonoſorem infligendas, & quod erit univerſa terra in ſolitudinem, & ſtuporem, & ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis. At conſtans non eſt apud Doctores, quando nàm finem habuerint hujuſmodi ſeptuaginta anni, nec quando ſuum ſortiti fuerint initium. Undè ſacris literis inſiſtendo, de utroque ſuo ordine differendum eſt in præſenti.

Porrò ut prætercam, pluries Deum afflixiſſe Iſraelitas, eos tradendo in manus diripientium

Ægy-

Ægyptiorum, Aſſyriorum, Moabitarum, ac aliorum, ſicut & accidiſſe etiam traditur quarti Regum cap. 18., & 16. tempore Ezechiæ Regis aliàs juſti, & cap. 21. varias Deus comminatur calamitates tẽpore Manaſſis, qui & ſecundi Paralip. cap. 23. vinctus catenis, atque compedibus ductus fuit in Babylonem; quamquàm ſuorum criminum agens pœnitentiam, deprecatus Deum patrum ſuorum, reductus fuit in Ieruſalem, Regnum ſuum; ac Melchior Cano lib. 11. cap. 5. advertit cum Cajetano, Iudicum 18. mentionem fieri cujuſdam captivitatis filiorum Dam, quæ in libris Regum prætermittitur. Non enim ſeptuaginta anni incipere potuerunt in hujuſmodi vexationibus, quæ ante tempus Nabuchodonoſoris Regis Babylonis acciderant, brevique ſpatio duraverunt, reducente eos Domino in terram ſuam. De tribus ergò aliis vaſtationibus à Nabuchodonoſore illatis emergere poteſt dubita-

bitatio, prima fuit ſub Ioakim filio Ioſiæ, ſecunda ſub Ioachin filio Ioakim, qui & Iechonias nominatur, tertia, quæ eſt captivitas magna, & deſolatio nominatur, ſub Sedecia: de quibus quarti Regum cap. 24., & 25.

Ut quid certius judico in hac re ſuſtinendum, ſeptuaginta annos computandos eſſe ab ultima ex enumerratis captivitate, tempore, quo Nabuzardam ſuccendit Templum, ac domos Ieruſalem. Nàm ſecundi Paralip.cap.36.deſcripta per partes deſolatione civitatis, dicitur: cunctis enim diebus deſolationis egit ſabbatum uſquedùm complerentur ſeptuaginta anni: hoc eſt fuit inculta, quia tempore ſabbati, ſivè ſeptimo die, ſivè ſeptimo anno, non licebat terram excolere. Et Daniel cap.9. verſ.7.fatetur, ſe intellixiſſe numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, ut complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni.

ni. Septuaginta igitur anni non fuerunt tranſmigrationis, ſed deſolationis, antequàm proindè non inceperunt.

Inquit tamen Cajetanus in ſecundi Paralip. cap. 3. Ieremias cap. 29. dirigit ſermonem ad populum tùm captivandum, tùm captivatum cum Rege Ioachin, ſeù Iechonia nepote Ioſiæ. Ab hujus ergò captivitate anno octavo Nabuchodonoſoris, quarti Regum cap. 24., ſeptuaginta anni, de quibus loquebatur, inceperunt. At non eo tempore, quo prædicebantur ſeptuaginta anni ſervitutis, & captivitatis, ut populus cohortatione à culparum exceſſu retraheretur, inceptionem habuiſſe, cenſendi ſunt; nàm etiam prædicuntur cap. 21. anno quarto Ioakim filii Ioſiæ, qui & fuit annus primus Nabuchodonoſoris, & tamen incepiſſe ſimul in primo; & octauo hujus anno, in quarto ſimul anno Ioakim, & tertio menſe Iechoniæ, eſt impoſſibile. Undè in capite il-

lo

lo 29. non inquit Propheta, quod jàm inceperint impleri ſeptuaginta anni, ſed: cum cœperint impleri, viſitabo vos, &c. Et quidem cap. 25. de omnibus gentibus, quæ adhùc reductæ non erant in captivitatem cum Iechonia, quæ ſcilicet erant in circuitu Ieruſalem, dicitur per modum prædictionis id, quod erat futurum, nec jàm inceptum, quod ſervient Regi Babylonis ſeptuaginta annis. Neque verò à tempore Iechoniæ verificari cœpit, quod univerſa terra fuerit in ſolitudinem, & ſtuporem, ut eodem cap. 25. Ieremię prędicitur; & dato ſolitudinem incœpiſſe, non tamen deſolatio, cui ſeptuaginta annos aſſignare debemus, ut rectè tradit Melchior Cano, quem lib. 1. de Antichriſto cap. 22. imitatur Maluenda, plurimos alios referens in hanc ſententiam.

Clariſſimis adhùc Sacræ Scripturæ teſtimoniis comprobatur, ſeptuaginta deſolationis annos finem accepiſſe in primo Cyri anno,

no, quamquàm præſtantiſſimi Doctores in diverſum abierunt ſenſum, protrahentes eos ad ſecundum Darii Hyſtaſpis annum. Secundi nàmque Paralip. cap. 36. ſeptuaginta anni ſervitutis recenſiti poſt deſolationem Ieruſalem ſecundum ſermonem Domini ex ore Ieremiæ Prophetæ traduntur duraſſe donec imperaret Rex Perſarum, ſcilicet Cyrus; & ſubditur: anno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, qui juſſit prædicari in univerſo Regno ſuo, etiam per Scripturam dicens: hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis ex vobis eſt in omni populo ejus, ſit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat, in Ieruſalem ſcilicet, quæ eſt in Iudæa, & ædifi-

cet

cet domum Domini Iſrael, ut expreſsè videre eſt in principio Eſdræ cap. 1. Et quidem Jeremiæ cap.25. habetur: ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis: cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus iniquitatem eorum; & cap.29., hæc dicit Dominus: cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum; Atqui tàm primam viſitationem ſuper iniquitatem Regis Babylonis, ejuſque gentis, quam ſecundam Dei viſitationem, ut per verbum bonum ſuus populus reduceretur in Jeruſalem, factam fuiſſe primo anno, quo Cyrus Rex Perſarum imperavit capta Babylone, evidens eſt ex locis Paralip., & Eſdræ jàm adductis. Illo igitur anno habuere finem ſeptuaginta anni Babylonicæ ſervitutis, de quibus loquitur Je-

Jeremias. Accedit inſuper Iſaiæ prædictio, de quo inquit Genebrardus pag. 129., tàm Clarus vates fuit, ut etiam Cyrum Regem Perſarum nominaverit ducentis annis priùs, quam naſceretur, & ejus geſta deſcripſerit; atque, ut priùs tradiderat Joſeph lib. 11. antiq. cap. 1., illius admiratus divinitatem, cujus prædictionem, jàm legerat Cyrus, correptus eſt cupidine exequendi, quę ſcripta noverat, ac prædicta centum quadraginta circitèr annis, antequàm Templum devaſtaretur; fit enim mentio de Iſaia quarti Regum cap 20. quindecim annis antecedentèr ad ultimum annum Ezechiæ, anno ſcilicet Mundi termilleſimo duceteſimo nonageſimoprimo, cum tamen ejus prædictio edita forsàn fuerit aliquibus annis antecedenter. Inquiens verò Iſaias cap. 45.: hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubiiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam

riam coràm eo januas, & portæ non claudentur, verſ. 13. ſubditur: Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam, ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum. Non ergò captivitas ſeptuaginta annorum eſt perducenda uſque ad Darii ſecundum annum. Et quidem à tranſmigratione Ioachin, ſeù Iechoniæ, qui quarti Regum cap. 24. verſ. 12. ultrò ſe dedidit cum matre, ſervis, eunuchis, & principibus ejus Regi Babylonis anno hujus octavo, uſque ad primum annum Eviſmerodachi, filii Nabuchodonoſoris trigintaſeptem anni effluxerunt cap. 25. verſ. 27.; à quibus ſi detrahas undecim Sedeciæ uſque ad deſolationem, fiet, quod à deſolatione regnaverit Nabuchodonoſor vigintiſex annis; undè ſi à deſolatione uſque ad Cyrum tranſacti ſolum fuiſſent triginta anni, ut fateantur oportet, & fatentur,

qui ſeptuaginta annos deſolationis perducunt uſque ad Darii hyſtaſpis ſecundum annum, ſolum quatuor, vel ad ſummum quinque anni remanerēt tribuendi Eviſmerodacho, Negliſari, Laboſardacho, & Balthaſari, qui regnarunt poſt Nabuchodonoſor ante Cyrū. Hoc autem eſt incredibile, etiam ſi dicatur Balthaſarem non fuiſſe pronepotem Nabuchodonoſoris, ſed filium, & fratrem Eviſmoredachi, (ſeù potiùs nepotem, ut ex illo Ieremiæ cap. 27. verſ. 7. colligitur, quod ſcilicet Nabuchodonor ſervient omnes gentes, & filio ejus, & filio filii, donec veniat tempus terræ ejus, & ipſius; per everſionem nimirū imperii Chaldaici ex nece Balthaſaris à Cyro inferenda) vigintitres ſiquidem anni tribuuntur Eviſmerodacho, & Balthaſari decem & ſeptem in vitæ humanæ theatro lib. 2. volum. 28., quamquàm hujus annos Genebrardus lib. 2. pag. 137. decem facit. Conſimili ratione excluduntur dicentes,

tes,ſeptuaginta annos,ſi ſumantur captivitatis,computari à tranſmigratione Iechoniæ ad primnm annum Cyri, ſi verò deſolationis intelligantur, abſolvi in ſecundo Darii anno. Nàm preterquā quod ſupra vidimus, ſeptuaginta annos captivitatis, de quibus adducta Scripturæ teſtimonia loquuntur, non eſſe alios, quam deſolationis, deſumendoſque à Templi, ac Ieruſalem vaſtatione, atque ad primum annum Cyri protrahendos, ac finiendos:addimus ultra,à trāſmigratione ad deſolationem non interceſſerunt pluſquàm undecim anni, in quibus regnavit Sedecias, & tamen,ut rectè obſervavit Melchior Cano,à primo anno Cyri ad Darii ſecundum pluſquàm triginta interfluxerunt anni, vel ad minùs ſeptemdecim, juxtà inferiùs afferenda; deeſt ergò proportio,ut tàm à tranſmigratione uſque ad Cyrum, quam à deſolatione uſque ad Darii ſecundum annum ſeptuaginta interceſſerint anni.

Retulerim iſta, quia etiam adverſæ partis Authores nobis obiiciunt tàm ex Sacris, quam ex profanis hiſtoriis rerum, quæ eodem tempore inciderunt, incohærentiæ defectum. Inquiunt enim: Mardochæus fuit unus ex eis, qui captivi abducti ſunt cum Iechonia à Rege Babylonis undecim annis ante deſolationem Ieruſalem, ut in Eſther cap.2.verſ.6.habetur: atque tunc ad minus erat unius anni. Si ergò à deſolatione ad primum annum Cyri ſeptuaginta interceſſerunt anni, eo tunc fuiſſet Mardochæus octogintaduorum annorum. Ac ultrà vixiſſe uſque ad duodecimum Regis Aſſueri annum, liquere poteſt ex cap.3.Eſther à verſ.7.ad cap.4.; vixiſſet igitur pluſquàm centum triginta annis, quia regnavit Aſſuerus poſt Cyrum, & Cambyſem, qui quadraginta circiter annis imperarunt. Ad eam tamen longævam fuiſſe provectum ętatem, vegetis mentis, ſuiqu compotem, virum ad eximia

mia opera perpetranda, ut quid incredibile cenſeri debet. Quinimò cum fuerit patruus Eſther, in paucis annis ipſam exceſſiſſet, quæ tamen pulcherrima deſcribitur, ac ſuper omnes mulieres ab Aſſuero adamata.

At certè Sacræ paginæ in nullo inter ſe reluctantur, Mardochæum ab annis Iechoniæ captivitatis uſque ad Aſſuerum trahentes; non enim de aliquo temporis interſtitio cum naturis rerum pugnante, quidquàm decernunt; nec, ſi quæ diſſonantia videatur oriri ex profanis aliorum hiſtoriis, à quibus Scripturæ veritas non eſt venanda, movere nos debet; cum non ut illius regulæ ſint habendæ, ſed ut regulandæ, & corrigendæ eidem ſubmittantur oportet. Eo vel magis quod conſtans temporum ratio circa Medorum, Aſſyriorumque, ac Perſarum, & Chaldæorum imperia multis involucribus implexa inexplicabilis penè ſemper hucuſque viſa fuerit ob nimiam

vetuſtatem à noſtra cognitione remotam, priſcorumque Authorum diſſidium, contraria, ac diverſa miſcentium, atque ſæpiùs etiam comminiſcentium. Qua de cauſa ex eorum monumentis deduci nequaquàm valet, quinàm fuerit, ac quo regnaverit tempore Aſſuerus iſte, Eſther maritus, ob diverſos eodem nomine nuncupatos Reges, ut apud Ægyptios, aliaſque nationes fuit pariter uſu receptum. Utcumque contigerit res, ſufficiat nobis, Mardochæum ad Aſſuerum uſque vitam perductam cum eodem vixiſſe. Quod ſi fortè aliquantulum fuerit longævior, unum, vel alterum perfecto pollentem temperamento, integroque mentis vigore præditum, ad ſenium ità perducere illis à noſtris procul temporibus, non eſt quid diſſonum reputandum, Deo præcipuè ſic volente, ut populus, à jugo gentium oppreſſus, levaminis inveniret ſolatium.

Fatemur tamen in re difficili ul-

ulteriùs procedentes, hunc Aſſuerum, cujus mẽtio fit in libro Eſther, ac dicitur Artaxerxes, non tamen Longimanus, fuiſſe unum, qui tempore Monarchiæ Perſarum Cyro, & Dario Medo ejus avunculo, ut pleriſque magis placet, non multum longè ſucceſſit, non quidem incipiente, vel durante captivitate Babylonica, quando Regnum Medorum, atque Perſarum non erat tantæ amplitudinis, quantæ erat dominatus Aſſueri ab India ad Æthiopiam ſuper vigintiſeptẽ Provinciis, ut ſcribitur Eſther cap. 1.: ſed captivitate diſſoluta, antequàm tamen Judæi reædificata Jeruſalem, pacificè Judæam habitaſſent; aliàs non potuiſſet Aman eorum tentare necem, nec Mardochæus ſcripſiſſet Judæis commorantibus in centum illis, & vigintiſeptem Provinciis, ut obſervarent dies ſortium, cum primò literas dediſſent. Quamquàm autem Cyrus triginta regnaverit annis, ex quo vicerat Aſtyagem avum, ta-

men viceſimoſecundo, interfecto Balthaſare, ac potitus Babylone, Regnum Aſſyriorum, quod in Medos, & Babylonios fuerat diviſum, in unum redegit, ac totum nominavit Perſarum; atque octo ſolum annis in illo ſic dilatato regnavit. Undè congruè dici non poteſt, Aſſuerum fuiſſe, cujus imperium ad duodecimum annum ad minus perductum vidimus cap. 3. Eſther. Qua ratione pariter excluduntur Cambyſes, & Smerdes Magus; quorum prior ſeptem circiter annis regnavit, ac ſecundus aſtu Regnum occupavit per ſeptem menſes. Satis igitur probabile judicari poteſt, hunc Aſſuerum fuiſſe Darium Hyſtaſpem præfatis ſucceſſorem, qui trigintaſex circitèr annis regnavit. Quare ad ſummum Mardochæi ætas, cum vi portendendi cuncta ab eo prudenter patrata, aſcendit ad centum & novem annos, ut numeranti octogintaduos annos ad terminum uſque captivitatis, octo Cyri, ex quo capta

fuit

fuit Babylon, ſeptem Cambyſes cum menſibus Magorum, ac duodecim tempore Aſſueri, poteſt eſſe compertum.

Si verò cuipiam hæc non multum arriſerint: eoquod à diſſoluta captivitate in primo Cyri anno uſque ad ſextum annum Darii Hyſtaſpis, in quo primi Eſdræ cap. 6. completum eſt Templum, intercesſiſſent ad ſummum vigintiduo anni; & tamen Joannis cap. 2. traditur, ædificatum à Judæis quadragintaſex annis, complectendo nimirùm etiam annos, quibus æmulorum opera opus eſt intermiſſum: prædictumque ab Angelo Danielis cap. 9., quod ab exitu ſermonis, ut iterùm ædificetur Jeruſalem hebdomades ſeptem erunt; quæ ſecundùm communem ſenſum, importare tempus inſtaurationis Templi ſuo loco dicetur; aſcenduntque ad quadragintanovem annos, quia nimirùm in tribus aliis annis porticus pro majori cuſtodia addi potuerunt ad Templum.

 Is

Is inquàm dicat cum Cardinali Ugone, Mardochæum in Babylone poſt Jechoniæ captivitatem natum fuiſſe; dicique eò translatum, non inſepſo, & in perſona, ſed in ſuo avo Cis, ſicut de filiis Joſeph Geneſ. 36. dicitur ingreſſos in Ægyptum, quia in eorum progenitore ſolum poſſunt eſſe ingreſſi, qui in Ægypto ſunt nati; ac pariter in re noſtra primi Eſdræ cap. 2. inter eos, qui numerantur aſcendiſſe de captivitate, quá tranſtulerat Nabuchodonoſor in Babylonem, ac reverſi ſunt in Jeruſalem, & Judæam, ponitur Zorobabel, quem tamen ex Matthæi Evágelio conſtat, genitum poſt tranſmigrationem in Babylone. E contra verò, ſed quadam conſimili ratione, Jechonias, qui natus traditur à Matthæo in tranſmigratione Babylonis, quicunque fuerit, ſivè Joakim, ſivè ejus filius Joachin, certum eſt eſſe natum antecedenter ad captivitatem nedùm tertiam, ſed primam, cum prior,

qui

qui undecim regnavit annis, cœperit regnare, dùm erat vigintiquinque annorum, & poſterior dùm eſſet decem & octo, tribuſque menſibus regnavit. Ut enim inquit Remigius in Catena, ideò dicitur, Joſiam genuiſſe Jechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis, quia ad hoc nati ſunt, ut de Regno totius populi pro ſuis, & aliorum peccatis captivi ducerentur; & quia præſcius erat Deus, eos eſſe ducendos captivos, idcircò dixit, eos natos in tranſmigratione. Sicut ergò Jechonias natus ante tranſmigrationem, in illa potuit aſſeri genitus: ità & Mardochæum valebit aſſerere, in captivitatem translatum Babylonis, quãvis multo poſt fuerit natus. Et ſic ceſſat longævitas ſuæ vitæ, etiam ſi ſeptuaginta anni deſolationis uſque ad Cyri primum annum dumtaxàt excurrant.

Sed quid de Templo dicemus, quod everſum manſiſſe inquiunt ex primi Eſdræ cap. 4. in fine, nec

fiebat uſque ad ſecundum Darii annum, ad quem proindè ſunt protrahendi ſeptuaginta deſolationis anni? Occurrimus ſanè, nunquàm nos tradidiſſe, eos annos expletos, quando Templum fuit ad ſuam perfectionem perductum; aliàs, cum hoc acciderit in ſexto Darii anno, ut habetur cap. 6. verſ. 15., annus ſeptuageſimus deſolationis ſextus eſſet, & non ſecundus Darii annus: ſed quando Judæis laxata eſt captivitas, atque facta facultas, ut in patriam redeuntes, illud extruerent. Hoc autem contigiſſe in primo Cyri anno, ut exploratum habetur, nàm cap. 5. Senes Judæorum interrogantibus, qua poteſtate ædificaretur Templum, reſponderunt, quod cum patres eorum ad iracundiam provocaverint Deum, traditi fuerũt in manus Nabuchodonoſoris, qui & deſtruxit illud, & populum ejus tranſtulit in Babylonem; anno autem primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus propoſuit edictum,

ut

ut domus Dei hæc ædificaretur. Idque tandem referunt concludentes: tunc itàque Saſſabaſar, ex juſſu ſcilicet Cyri, venit, & poſuit fundamenta Templi Dei in Jeruſalem, & ex eo tempore uſque nunc ædificatur, & nec dùm completum eſt. Quoniam ſcilicet ęmulorum perverſitate, ac dolo fuit intermiſſum, qui, ut cap. 4. dicitur, Artaxerxis edicto recepto, abierunt feſtivi in Jeruſalem ad Judæos, & prohibuerunt eos in brachio, & robore. Tunc intermiſſum eſt opus domus in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum. Quo fit, mirum non eſſe, ſi fundamenta priùs jacta tempore Cyri, longo temporis intervallo propemodùm fuerint everſa, ut viceſima & quarta noni menſis anno ſecundo Darii Regis refici debuerint, ut intelligendus venit Aggæus cap. 2. Neque verò ex eo, quod Eſdræ cap. 3. dicitur: porrò Templũ Dei nondùm fundatum erat, inficiari

ciari debemus, fundamenta non fuiſſe antecedenter jacta ad ſecundum Darii annum; eis ſiquidem verbis præmiſſis, ſtatìm traditur ordo habitus ab illis, qui venerant de captivitate in Jeruſalem, ut urgerent opus Domini, dando pecuniam Latomis, & cæmentariis, cibum quoque, & potum, & oleum Sidoniis, Tyriiſque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad Mare Joppe, juxtà quod præceperat Cyrus Rex Perſarum eis. Undè paulò poſt verſ. 10. ſubditur, fundato igitur à cæmentariis Templo Domini, ſteterunt Sacerdotes in ornatu ſuo cum tubis, &c. ſicque omnis quoque populus, verſ. 11. vociferebatur clamore magno laudando Dominum, eo quod fundatum eſſet Templum.

At rursùs obſtare videtur, quomodò Baruch cap. 6. verſ. 2. dicitur: ingreſſi itàque in Babylonem eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis uſque ad generationes ſeptem? Singulæ enim generatio-

rationes,ſi ad minus ſumantur pro temporis ſpatio,quo proles ab homine gigni poteſt,important quatuordecim annos, & ultrà novem menſes,quibus fœtus in utero permanet matris; & proindè omnes pluſquàm ad centum perveniunt annos. Verùm authoritas iſta non militat adversùs ſeptuaginta annos captivitatis non protractos ultrà primum annum Cyri:ſi enim exigunt ſeptem generationes pluſquàm ſeptuaginta annos,quid mirùm ſi extendantur ultrà ſeptuaginta annos, egreſſæ primi anni Cyri confines? Quare dicendum Baruch non loqui ſolum, ut ex ejus liquet verbis, de annis captivitatis, ſed de toto tempore, quo Iſraelitæ Babylonem ingreſſi, ibidem manſerunt uſque ad egreſſum Eſdræ,ut ejuſdem cap.7, & 8. traditur. Hæc autem ulterius proſequi libenter omittimus. Neque enim noſtri fuerit inſtituti ad fœdus, omnia revocare, ac præcipuè ab aliis luculenter peracta.

Il-

Illud ſolum in præſenti remanet nobis propriùs reſolvendum, quod Zachariæ cap. 1. in 2. Darii anno conqueritur Angelus: Domine exercituum uſque quo tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jàm ſeptuageſimus annus eſt; nimirùm captivitatis, ac deſolationis, qui proindè non inciderat in primum Cyri annum, & ante ſecundum Darii. Melchior Cano multas adhibet eloquenter ſolutiones, ad idem propè vergentes. Quod tamen affert ex Auguſtino lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 3., valdè placet: in Angeli querimonia duplicem adeſſe interrogationem, unam expreſſam in illis verbis: uſque quo tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? Alteram ſubintellectam in ſequentibus: iſte jàm ſeptuageſimus annus eſt; ut eſt fieri ſolitum in eadem periodo, in qua idem non replicatur verbum, aut nomen, quod tamen ſubintelligi eſt neceſſe; ſenſuſque

ſuſque eſt, uſque quo non plenè miſereberis Jeruſalem? Numquid iſte ſeptuageſimus annus eſt, quem ſpopondiſti benignè? Ità ut tacitè ſubintelligatur, non, cum jàm fuerit tranſactus. Exemplum præbuit Apoſtolus ad Romanos 8. inquiens, quis accuſabit adversùs electos Dei? Deus, qui juſtificat. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, qui reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui interpellat pro nobis; duabus ſingulis interrogationibus ſubiicere omittit expreſsè alias duas ſubintellectas, in quibus continetur implicitè reſpōſio, nequaquàm Deus, qui juſtificat, electos accuſat: nec Chriſtus, qui interpellat pro nobis, eoſdem accuſat. Quo in loco egregiè diſcurrens D.Thomas lect. 7. quod quia poſſet aliquis timere, ne à Chriſto Jeſu aliquis accuſaretur, & condemnaretur tanquàm tranſgreſſor mandati ipſius Chriſti, ſicut & de Moyſe Dominus dixit Jo: cap. 5., eſt qui accuſat vos

Moy-

Moyſes, in quo ſperatis: cum aliàs ad condemnandum in eo concurrant duæ aliæ conditiones, & quod à Deo fuerit Judex conſtitutus vivorum, & mortuorum, ut Actorum dicitur cap. 10., & quod immunis ab omni culpa nullum fecerit peccatum, ex primæ Corinthiorum cap. 2., quod requiri poſſe videtur ex illo Jo: cap. 8., qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat, inquit: ideò dicit Chriſtus Ieſus, quaſi diceret numquid Chriſtus Ieſus accuſabit adversùs electos Dei, vel etiam eos condemnabit? Et oſtendit quod non, propter cauſas ſcilicet, quas enarrans ibidem Apoſtolus, ipſe Doctor exponit Angelicus. At de his jàm ſatis. Et cum ſufficienter, ni fallor, viderimus, ſeptuaginta annos memoratæ captivitatis incipiendos à deſolatione Ieruſalem, ſub Principe Nabuzardam facta anno Mundi termilleſimo quadrigenteſimo decimoſexto, decimoſeptimo tamen die undecimi

menſis ejuſdem anni non expleti; ac viderimus pariter, eoſdem ſeptuaginta annos fuiſſe terminatos in primo Cyri anno (undè ſeptuaginta mox deſumemus hebdomadas) quando præbita fuit Judæis libertas aſcendendi in Jeruſalem, ad Templum Domini ædificandum, fit ex conſequenti, ultimum annum ſolutæ captivitatis fuiſſe annum Mūdi termilleſimum quadrigēteſimum octogeſimumſextū, decimoſeptimo tamen die menſis undecimi ejuſdem anni non expleti.

Finis captivitatis 3485. menſibus 10. diebus 17.

CAPUT 12.

Exponitur Prophetia Danielis de Septuaginta Hebdomadis.

REmanet nunc ultrà videndū, quot effluxerint anni à præfatis ſeptuaginta captivitatis annis uſque ad Jeſu Chriſti Domini noſtri Nativitatem. Solumque ex Sacris literis aptiſſimus occurrit locus, celebriſque Danielis Prophetia

tia cap 9., qua communiter utuntur Theologi ad evidenter convincendos Hebræos ex veteri teſtamento ab ipſis admiſſo, Meſſiam in lege promiſſum à multis jàm annis adveniſſe, ac ultrà perperam expectari. Illa verò in medium adducta, quæ explanatione indigent, ut ad rem præſentem conducunt, pro modulo noſtro planiùs dilucidabimus.

Orante igitur Daniele, ut averteretur ira Dei, ejuſque furor à civitate Jeruſalem, & impleret promiſſa, liberando ſuum populum à captivitate prædicta à Jeremia, ſeptuaginta nimirùm annorum, quorum finem intellexerat appropinquari, tetigit eum Angelus Gabriel in tempore Sacrificii Veſpertini; Et ferè pro rato habens, firmumque tradens, nihil timendum de prorogatione captivitatis ultrà ſeptuaginta annos, adiecit de tempore adventus Meſſiæ certam notitiam, cum vir eſſet deſideriorum. Inquit ergò; ab exor-

dio

dio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu ergò animadverte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

Dubitari autem rationabiliter nequit, quin nulli alteri aptari poſſint præfata, quam à cunctis deſiderato, ac votis omnium expectato Meſſiæ, adhùc ſecundum veterum Thalmudiſtarum ſententiam, quos Rabbi Moſes filius Nahum Gerdantis ſequutus inquit: Sanctuarium Sanctuariorum eſt ipſe Meſſias ſanctificatus de filiis David, ut refert Galatinus lib. 4. cap. 18. (erãt Thalmudiſtæ Rabbini quidam, ex quorum doctrina compilatum fuit Thalmud, hoc eſt

opus

opus Judaicarum traditionum, de quo videatur Sixtus Senenſis lib. 2.§.traditionum) Quoniam ſolum ipſe Meſſias erat futurus Sanctus Sanctorum, à quo conſumanda, ſeù ad nihilum redigenda erat prævaricatio, finemque acceptura peccata, non quod non eſſent ampliùs committenda, ſed cauſalitèr, in quantum in re ponenda erat cauſa finis eorum, undè omnem ſortirentur expiationem, & quo ad gravitatem offenſæ Majeſtatis Divinæ, qua ad minus in ſuperiori ordine ad quaſcunque collocantur offenſas: per redundantem in infinitum ſatisfactionem ab eo Redemptore exhibendam: & quo ad culpæ, & maculæ rationem, fœdantis animam; ex infinitate enim meritorum ejus nedùm effluxerunt Sacramenta, ſed actus inſuper pœnitentiæ ſalutaris, cæterarumque virtutum ad juſtificationem, ejuſque incrementum exigiti, quique à noſtris eliciuntur potentiis præmotis adjutiſque illius ſuperna

gra-

gratia, ex perenni fonte gratuito Salvatoris hauriunt vim emūdandi animam, ut iterùm effulgeat in priſtinum ſupernaturalem nitorem. Hinc ſubditur, delendam eſſe iniquitatem; quoniam, quamquàm exactis temporibus fuerit adhùc in veris deleta pœnitentibus, ponenda tamen erat cauſa, vi cujus, efficacique virtute ad nihilum redactæ ſunt penitùs quotquot deletæ ſunt, aut fuerunt iniquitates, omneſque futuræ deleri valeant, & everti. Ut enim dicitur Jo: cap. 1. de plenitudine ejus nos omnes accepimus: quæ verba, ut exponat Angelicus lectione 10., in laudes erumpit Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, eaſque huc tranſcribendi feſtivè gratulor mihi, occaſionem præberi. Inquit ergò: eſt autem plenitudo ſufficientiæ, qua aliquis eſt ſufficiens ad actus meritorios, & excellentes faciendos, ſicut in Stephano. Item eſt plenitudo redundantiæ, qua Beata Virgo excelluit omnibus

San-

Sanctis propter eminentiam, & abūdantiam meritorum. Eſt etiam plenitudo efficientiæ, & affluentiæ, quæ ſoli homini Chriſto competit, quaſi authori gratiæ. Sic enim Beata Virgo redundavit gratiam in nos, ut tamen auctrix gratiæ nequaquàm eſſet, ſed ab anima ejus gratia redundavit in carnem. Nàm per Spiritus Sancti gratiam non ſolum mens Virginis fuit Deo per amorem perfectè unita, ſed ejus uterus Spiritu Sancto eſt ſupernaturalitèr imprægnatus; & ideò ſtatìm cum dixiſſet Gabriel: AVE GRATIA PLENA, ſubjunxit de plenitudine ventris dicens: DOMINUS TECUM. Ut ergò Evangeliſta hanc ſingularem plenitudinem redundantiæ, & efficientiæ de Chriſto oſtenderet, dicit, de plenitudine ejus nos omnes accepimus, ſcilicet omnes Apoſtoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Juſti, qui fuerunt, ſunt, & erunt.

Subditur inſuper, & adducatur juſtitia ſempiterna, nedùm ratione

ne præfata, ſed etiam quia non antecedentèr ad merita exiſtentia Redemptoris conjungenda erat cum æterna gloria, quæ corona juſtitiæ ab Apoſtolo ſecundæ ad Timotheum cap.4.nominatur; Januæ nàmque Cælorum attolli, & aperiri nequibant ante Meſſiam, adhùc plenè juſtificatis; quia, ut tertia parte quæſt. 49. art.5. ad 1. inquit D. Thomas: Sancti Patres operando opera juſtitiæ meruerũt introitum Regni Cæleſtis per fidem paſſionis Chriſti ſecundùm illud Hebræorum 11. Sancti per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, per quam etiam unuſquiſque à peccato purgabatur, quantum pertinet ad emundationem propriæ perſonæ; non tamen alicujus fides, vel juſtitia ſufficiebat ad removendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ creaturæ, quod quidem remotum eſt pretio ſanguinis Chriſti, & ideò ante paſſionem Chriſti nullus intrare poterat

Regnum Cæleſte, adipiſcendo ſcilicet Beatitudinem æternam, quæ conſiſtit in plena Dei fruitione.

Hæc, inquàm, omnia, cum nulli alteri competere queant, in præſenti de ſeptuaginta hebdomadis prophetia, ut certiſſimum habeatur, de Meſſia inſtitutum eſſe ſermonem, in adventu cujus aliorum prædictiones Prophetarum, qui de ipſo multa fuere vaticinati, erant adimplendæ. Siquidem ex eventu rerum, ut prędicuntur, implentur vaticinia, ac apud omnes eorum veritas comprobatur. Catholici qua de cauſa Doctores oracula Scripturarum ex profeſſo expendentes, quæ à nobis nequeunt eſſe confictę, cum eas ex Hebræis infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus acceperimus, rectè autumāt, eaſdem valere ad revincendos adhùc Gentiles. Generaliter autem tot enumeratis bonis per Meſſiam obtinendis, pergit Gabriel connectens conſequenter ſermonem; & quem ungendum Sanctum Sancto-

rum

rum paulò ante prædixerat,nominat Chriſtum Ducem;inquit enim: Scito ergò,& animadverte ab exitu ſermonis, ut iterùm ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & interjecto quod rursùs ędificabitur platea,& muri in anguſtia temporum, quod erat faciendum juxtà Danielis orationem in prioribus ex ſexagintanovem hebdomadis ab exitu ſermonis, ſubdit: & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus.Quo in loco preintelligi debent aliæ ſeptem hebdomadæ; ſiquidem ſexaginta duæ iſtæ hebdomades eædem ſunt, ac illæ immediatè ante recenſitæ cum ſeptem aliis præmiſſis, ut exigere videtur ratio ejuſdem ſententiæ. Undè ſi referantur ad exitum ſermonis, ut iterùm ædificetur Jeruſalem, ſenſus eſt: poſt ſexagintanovem hebdomadas occiſum iri Chriſtum; ſi verò referātur ad plateæ, atque murorum ædificatio-

nem in anguſtia temporum, ut partitè, & ſuo ordine ſumantur, abſque ulla diſſonantia procedunt rectiſſimè, quod ſicut poſt exitum ſermonis in ſeptem hebdomadibus primis ædificanda erat platea, ità ab hujus ædificatione poſt ſexagintaduas ſequentes occiſio Chriſti erat futura. Quæ duo eandem prorsùs important intelligentiam.

Enarrans verò Angelus mala Judæis pro Chriſti nece eventura proſequitur: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt; & civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Quod pertinere non dixit ad ſeptuaginta hebdomadas, ſed per quandam occaſionem, & in teſtimonium prophetiæ; factumque comperimus ab exercitu Romanorum ſub Tito Veſpeſiano, qui poſt quadraginta circiter annos eodem die, quo in Crucem noſtrum egerant Redem-

pro-

ptorem, Jeruſalem devaſtavit. Quã cladem magnoperè extitiſſe terribilem,& miſerrimè memorabilem, tradit Joſeph Hebræus de bello Judaico, nàm lib.7.cap.17. captivorum omnium, qui toto bello comprehenſi ſunt nonaginta & ſeptemmillium cõprehenſum fuiſſe numerum, aſſerit, quorum, ut idem recolit cap.16. lecti juvenes, qui procero, atque formoſo eſſent corpore,triumpho ſervati fuere: ex reſidua multitudine ſeptem & decem majores annis victi tranſmiſſi in *Æ*gyptum operibus deputatĩ, ac plurimi per provincias diſtributi in ſpectaculis ferro,& beſtiis cõſumati; qui verò infrà decimum,& ſeptimum annum ætatis egerant, venditi ſunt. Mortuorum etiam ad undecies centenamillia aſcendit calculus: rimantes Romani adhùc cloachas, & ſepulchra, eruentes, quos offendiſſent, jugulabant: ubĩ & inventi fuere pluſquàm duomillia, quorum alii manu ſua, plures autem mutuis ſe vulneribus inter-

 fece-

fecerunt, cum alios fames corrupiſſet. Omitto alias ab eodem Joſeph enarratas calamitates hìc recenſere, & verba ſolum adducam Rabbi Moſes, qui, ut refert Rabbi Simeonis apud Galatinum lib. 4. cap. 18. eaſdem animo revoluens ærumnas, flens dicebat: væ illis, vę illis impiis, iniquis, homicidis Iſrael, ob quorum amorem, ut peccatum eis dimittat Deus, mittet Filium Sanctum ſuum, & carne humana ſe induet. Væ illis, quia propter ſuas pravas actiones rebelles erunt huic Meſſiæ, nec reſpicient dicta, quibus imperabit, ut mundificentur aqua mundificationis ad expianda peccata ſua, nec incedent in viis Deo gratis, nec facient ejus voluntatem. ſed ingenti iracundia [illegible]citi ipſum occident.

His obiter tactis, quod prophetiæ remanet, abſolvamus. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium, & erit in Templo abominatio

tio deſolationis, & uſque ad conſumationem,& finem perſeverabit deſolatio. Cum ſeptuaginta hebdomadas primo loco recenſuiſſet Angelus Gabriel, memorans poſtea in orationis decurſu, ſolum ſeptem, & ſexaginta duas, unam ab illis ſeparavit,de qua eloquitur poſtremis his verbis: confirmabit autem pactum multis hebdomada una. Prædicatione enim Chriſti,& Apoſtolorũ confirmanda erat Lex nova, & Evangelica, quę pactum rectiſſimè nominatur, ea ſiquidem fidelibus divina implentibus mandata,ęterna promittitur vita:fuitque multis indè argumentis, & ſignis,morum probitate,æquiſſimaque directione, prophetię, ac miraculorum virtute firmanda,atque credibilis evidentèr reddenda, firmiſſima veritate gaudere, utpotè divinitus tradita.Duo autem præmiſerat in verbis immediatè pręcedentibus,primum, quod poſt ſexagintanovem hebdomadas occidetur Chriſtus,alterum,quod civi-

tatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo. Et ratione prioris, ut exponat quanto tempore poſt illas ſexagintanovem hebdomadas Chriſtus fuerit occidendus, additur hìc, quod in dimidio hujus hebdomadę, ſcilicet ſeptuageſimę, deficiet Hoſtia, & Sacrificium, quia ſcilicet ad prę-ſentiam veritatis, figurarum umbrę, illam ſignificantium, ceſſare debebant; undè per Chriſti Domini mortem, qua in ara Crucis Sacerdos ſimul, & victima in Sacrificium ſe obtulit Patri, atque una oblatione conſumavit in ſempiternum ſanctificatos, omnes Hoſtiæ, & vetera Sacrificia ipſum adumbrantia, abolita fuere, ut eſſent indè penitùs mortua, etſi non mortifera uſque ad promulgationem Evangelii. Et quidem D. Thomas ad illa verba Hebræorum decimo, ingrediens Mundum, lectione prima enumeratis quatuor Sacrificiis antiquæ legis, inquit: iſtis omnibus in novo Teſtamento reſpon-

ſpondet oblatio Corporis Chriſti, quia per Corpus Chriſti placatus eſt Deus, ſcilicet in oblatione ipſius in cruce; & Eccleſia in quadam collecta Dominicæ ſextæ poſt octavam Pentecoſtes habet: Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti,&c.

Ratione ſecundi, quod fiet a populo cum Duce venturo, affirmatur, & quod erit in Templo abominatio deſolationis, & quod uſque ad conſumationem ſcilicet ſæculi,& finem Mundi perſeverabit deſolatio. Qua de cauſa, ſi deſolatio perſeverabit uſque in finem, evincitur antecedenter peractam; tempore ſcilicet Titi,non longè poſt Chriſti necem in immanis vindictam facinoris, undè poſt illius prædictionem in eadem prophetia prædicitur. Sicque abominatio deſolationis literaliter accipi nequit pro Antichriſto ad finem ſæculi regnaturo; eo enim tempore quamvis Templum

foret ædificandum, ut pro expoſitione ejus, quod docet Paulus loquens de Antichriſto ſecundæ ad Theſſalonicēſes cap. 2., in Throno Dei ſedeat, refert D. Thomas lect. 1. voluiſſe aliquos, non tamen erit Antichriſtus abominatio à Daniele prædicta, deſolationis ſcilicet Templi, quæ tunc ponitur ablata Templi refectione. Præterquamquod prædictam expoſitionem poſitivè non approbat D. Thomas; quin videtur potiùs reprobare, dùm alias duas ſubdit dicens: quidam verò dicunt, quod nunquàm Jeruſalem, nec Templum reædificabitur, ſed uſque ad conſumationem in finem perſeverabit deſolatio. Et hoc etiam aliqui Judæi credunt: ideò exponitur, in Templo Dei, ideſt in Eccleſia, quia multi de Eccleſia eum recipient. Vel ſecundum Auguſtinum, in Templo Dei ſedeat, ideſt principetur, & dominetur, tanquàm ipſe cum ſuis nunciis ſit Templum Dei, ſicut Chriſtus eſt cum ſuis. Ut

ve-

veriùs putamus inſuper, hujus abominationis nomine non venire idolum, quod in Templo erexit Antiochus Epiphanes centum, & pluribus aliis annis ante Domini noſtri nativitatem; nec quodlibet aliud patratum ante deſolationem per Titum habitam, ſivè fuerit imago Cæſaris, quam Pilatus intulit in Templum, ſivè fuerint oblationes, & Sacrificia Judæorũ, quæ à morte Redemptoris erant ſacrilega, & abominanda. Etenim præfata coexiſtentia non fuerunt cum deſolatione, quam & tunc futuram tradidit Chriſtus ex Matthæi cap. 24., referens hanc Danielis prophetiam: cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco Sancto, qui legit, intelligat. Omiſſis autem congruis quibuſdam aliis Expoſitorum ſententiis, quas nec noſtri eſt, nec vacat expendere, mihi videtur accipi ſimpliciùs poſſe abominationem intranſitivè, pro ipſamet deſola-

ſolatione, ut in fieri, quæ abominatio quædam eſt, ut per mutuam quandam contractionem, & non ſit quæcunque abominatio, ſed talis, quæ foret deſolatio, & deſolatio, utpotè tàm inſolens, & nova, abominabilis, ſeù abominatio eſſet, & è contrà, quemadmodum tertio Æneidos cecinit Maro, & celſam Buthroti aſcendimus Urbem; & dùm Philoſophi nominant perſonam Petri, non ſunt aliud perſona, & Petrus, ſed perſona Petri eſt Petrus ſubſiſtens, & Petrus ſubſiſtens eſt perſona Petri.

De hac tandem deſolatione in facto eſſe concluditur, quod uſque ad conſumationem erit sẽper perſeverans, nec habitura finem, quemadmodùm habuit deſolatio ſeptuaginta annorum ſub Nabuchodonoſor Rege Babylonis: quibus tranſactis, iterùm fuit Templum refectum à primo Cyri anno, & aliis ſequentibus; quod per additum à Christo, nempè, ſtantem in loco ſancto fuiſſe

adhùc

adhùc ſignificatum, congruenter exponimus; ſiquidem verbum ſtare eſt ſolitum uſurpari pro immobiliter præſtitutum eſſe, & permanenter durare. Sic enim decernente ſummo rerum omnium Proviſore, cui reſiſti nequaquàm valet, ea ratione, qua Titus conſpecta Turrium ſolida altitudine, itemque magnitudine, ſubtilique lapidum compagine ſingulorum, quantumque paterent, vel quantum erigerentur, Deo, inquit, planè adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munimentis Judæos: nàm quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad iſtas valerent? ut Joſeph lib. 7. cap. 16. refert; ratione prorsùs eadem, ſicut inconſulto Tito everſum fuit Templum, eodem Authore cap. 10., imò poſitivè totis viribus reſiſtente: cum milites, vel edicta Cæſaris non audire primitùs ſimulabant, vel poſtmodùm ejuſdem prohibentis, qui illùc advenerat, præſentiam parvifaciebant, ut non cohi-

biti

biti ſaltem metu, aut reverentia Cæſaris, agi viderentur quodam impetu ſuperiori: ità, Deum ipſum non ampliùs permiſſurum illius refectionem, nos edocuit prophetia. Et revera, ut prætereã, quæ graviùs, ac luculentiùs à Sanctis Patribus urgentur, aliiſque Doctoribus, quid in cauſa eſt, quod in mille ſexcentum quinquaginta annis ab hac ultima deſolatione, & everſione refici non potuerit Templũ, totis nixibus ſe pluries conantibus ad illud conſtruendum Judæis, præcipuè ſub Juliano apoſtata, quando manifeſtis prodigiis divinitùs factis coacti ſunt ab inceptione deſiſtere? Nonnè experientia quadam præſcriptione pluſquàm immemorabili longiſſimo tractu temporum firmata teſtatur, Templum illud manere in legitima, juſtaque poſſeſſione ſuæ perpetuæ deſolationis, eaque comprobari à poſteriori Danielis prophetiam, undè viciſſim evincitur abſque nota circuli vitioſi, ultra duratu-

raturam in finem? Nonnè id factum rectè dixerimus infallibili Dei diſpoſitione, ut cunctis palàm efficiat populis, veterum uſum ſacrificiorum ſe ampliùs nolle; cum nec ratione ſui, nec ratione umbraticæ ſignificationis, jàm deperditæ ad præſentiam veritatis, retineant ampliùs, undè ei poſſint placere; & idcircò, ſicuti fuerat olìm acerbiùs in Sacerdotes ſævitum, quibus enixè pietatem efflagitantibus reſponderat Titus, decere Sacerdotes cum Templo interire, ità tot ſæculis noluiſſe Deũ pro victimis offerendis iterùm erigi Templum; Divina ſiquidem providentia, undè cuncta ſuo modo procedunt, fortitèr media, ſapienterque diſponit, ac ſuis finibus efficacitèr præparat. Quare, ut ſacrificia ceſſavere legalia ad oblationem veri Agni, qui jugitèr uſque ad conſumationem ſæculi à fidelibus immolatur, ſimili modo infallibilitèr eſt decretum, Templum illud in poſterum fore ſem-

per

per abolitum , cum fuerit paritèr figura Romanæ Eccleſiæ,aliorumque ei adhærentium per totum Orbem Templorum; ſeù,ut meliùs dicam, ipſiuſmet Chriſti , qui veriùs erat Templum;quia in corpore ejus habitabat plenitudo divinitatis perſonalitèr, ut probè tradidit Cajetanus ad illa verba Joannis cap. 2. : ſolvite Templum hoc. Cujus jàm dudum formaliorem expreſſerat rationem Angelicus dicens : Templum dicitur, in quem Deus inhabitat ſecundum illud Pſalmi 10 Dominus in Templo Sancto ſuo , & indè eſt , quod anima ſancta, quam Deus inhabitat, dicitur Templum Dei , primæ Corinthiorũ 3. Quia ergò in corpore Chriſti divinitas inhabitat, ideò Corpus Chriſti eſt Templum Dei non ſolum ſecundum animam,ſed etiam ſecundum corpus.

CA-

CAPUT 13.

De initio, & re ſignificata per ſeptuaginta Danielis Hebdomadas.

PEr hæc ſimplici quadam, brevique ratione ſategimus, utcumque prophetiæ verba exponere, quæ cum eſſent in medium adducenda, eorum ad minus neceſſaria intelligentia prætereunda non erat. Ut autem ad rem noſtram quid ex illa ſit inferendum videamus, fatemur quidem, accepiſſe Danielem hujuſmodi prophetiæ viſionem, ut in principio noni capitis habetur, in anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, ſeptuageſimo nempè, & ultimo anno captivitatis incepto, quo ſimul cum Cyro ejus nepote ex parte ſororis, expugnata Babylone, Chaldæis uno anno imperavit, eoque labente, Dario Medo ſucceſſit ſolus Cyrus, in cujus primo

anno

ædificetur Jeruſalem, & ſubindè eſt exitus ſermonis expleto ſeptuageſimo anno captivitatis, ad complendum tamen, ut dicitur ſecundi Paralip. cap. 36., & Eſdræ cap. 1., ſermonem, & verbum Domini (nimirùm prædictionem) ex ore Jeremiæ Prophetæ.

Neque rursùs eſt exitus ſermonis, quo Eſdræ cap. 4., & 6. Darius Rex Perſarum, intermiſſo opere domus Domini, & recenſitis in bibliotheca libris, eo quod inventum fuerit Cyri decretum, ut Domus Dei ædificaretur, & ipſe ſtatuit poſt multos annos, ut executioni mandetur, templique intermiſſa conſtructio ad complemẽtum perveniat. Quoniam, ſi Daniel precabatur Deum de fine calamitatis ſeptuaginta annorum, quos Jeremia prædixerat, æquum erat, ut Angeli Gabrielis reſponſio fuerit de exitu ſermonis, ut iterùm ædificetur Jeruſalem in fine eorundem ſeptuaginta annorum, ex quo tandem per ſexagintanovem hebdomadas

madas perveniretur ad Chriſtum Ducem.

At inquit Pererius in Danielem lib. 10., animadvertendum eſſe, edictum Cyri fuiſſe de facultate extruendi Templi: cum ergò exitus ſermonis, de quo locutus eſt Gabriel, fuerit, ut iterùm ædificetur Jeruſalem, initium hebdomadum ſumendum non eſt ab exitu ſermonis Cyri, ſed ab anno viceſimo Artaxerxis, quo facultatem fecit Nehemiæ reficiendi Jeruſalem, ſecundi Eſdræ cap. 2. Verùm in libertate collata Judæis adeundi patriam ſuam: quam ſanè truncam eſſe non decuit, quippè à Cyro deſcendentem juſſu Dei Cęli, à quo fatetur, ſe regnorum terræ amplitudinem accepiſſe, importabatur ſaltem exercitè reparandæ civitatis facultas, ne coacti eſſent ibi morari non tanquàm in patria, ſed tanquàm in terra per deſolationem redacta in deſertum, ſibilum, & ſtuporem, & tamen in ea domus Domini erat reficienda; undè ſi in-

colæ ad Dei cultum exhibendum, legiſque cæremoniis fungendis, tàm Templi reparatione, quam civitatis indigebant ope, mirum eſſe non debet, in unius poteſtatem alterius uſurpari; ac in reparatione Templi, quæ ut quid principalius, & tanquàm finis expreſſa fuit à Cyro, annexam inveniri facultatem inſtaurandi Jeruſalem. Id quod præthereà fuit Iſaiæ cap. 44. in fine clarè prædictum, ubi Dominus inquit: qui dico Cyro paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem ædificaberis, & Templo fundaberis. Quod magis explicãs cap. ſeq., ſubdit verſ. 13. ego ſuſcitavi eum ad juſtitiã, & omnes vias ejus dirigam: ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. Quinimò hoc ipſum multis annis antequàm Nehemias veniens Jeruſalem, illam ad perfectionem redigeret, inchoatum aliqualiter, præſtitumque comperimus

mus primi Eſdræ cap. 4. : ibi enim Judæi ab eorum hoſtibus inſimulati reperiuntur, quod civitatem pesſimam, & rebellem ædificarent extruentes muros, & parietes componentes. Quod ſi ſemel concedatur, ut reapſe nequit negari, undè conſtabit, Gabrielem loquutum de exitu ſermonis, quo ædificata fuit Jeruſalem, effectum ſortiendo uſque ad complementum numeris abſoluta ſuis, & non potiùs de primo exitu ſermonis, quo fuit illius ædificandæ accepta facultas, quamquàm effectu perfectionis caruerit, imò etiam ſi omni prorsùs caruiſſet? Eo vel magis quod, ut ſupra dicebamus, hujuſmodi ſermonis exitus ſeptuageſimo anno captivitatis expleto relativè ad preces contingerit, quas Daniel apud Deum fundebat, rationabiliter timens propter nova peccata libertatis dilationem. Atque ità cum Clemente Alexandrino lib. 1. ſtromatum ſentiunt Genebrardus lib. 1. Chronologiæ pag. 163. inquiens,

quiens, quod ſimplicitas oraculi aliud non patitur, Maluenda lib. 1.cap.23.de Antichriſto,multique alii.

Quod verò hujuſmodi ſeptuaginta hebdomadum inceptio in primo Cyri anno inveniatur minimè correſpondens Olympiadibus, ſed ab eis in multis annis excedi, cum à primo anno quinquageſimæ quintæ Olympiadis,in quo ponitur cœpiſſe regnare Cyrum, uſque ad tertium,vel quartum annum centeſimæ nonageſimæ quartæ Olympiadis, in quo recenſetur Salvatoris nativitas multo plures, quam ſexagintaquinque annorum effluxerunt hebdomadæ: nequaquàm movere nos debet,qui infallibili ducimur Sacræ Scripturæ regula, ad quam aliorum redigi debet ſupputatio. Quod præcipuè in Olympiadibus obſervandum eſſe cenſemus, quarum, ut inquit Plutarcus in Numa, ſerò breviarium Hippiam Eleum ferunt nullis certis fultum argumentis edidiſſe.

Cui

Cui conſonat Genebrardus lib. 1. pag. 347., quod ſicuti Urbs quingentis annis uſque at Catonem majorem Scriptoribus caruit, ità Monarchiæ, & Olympiades uſque ad octogeſimum, & Ecatei, Herodotique ſæculum certis hiſtoricis carentes è denſis tenebris non poſſunt explicari. Alia inſuper ejuſdem arbitramur ratione, ex Olympiadibus nullo modo confici poſſe Chronicon, quia nimirùm Olympicum certamen in menſem Junium incidebat, & medium ferè diſpeſcebat, atque ex uno anno duos quodammodò faciebat, quorum alter ad præcedentia, alter ad ſubſequentia Olympia pertineret. Quare, & ſi vulgò quatuor annis definirentur, quinquaginta tamen lunares menſes concluſiſſe ex Lycophronis Interprete apparet, qui numerus quatuor annos ſolares viginti fermè diebus ſuperat.

Deducitur nunc ex præmiſſis, quod à ſeptuageſimo, & ultimo anno captivitatis Babylonicæ, hoc

eſt

eſt ab anno Mundi termilleſimo quadrigenteſimo octogeſimoquinto, menſibus decem, diebus ſeptemdecim, à quibus cœperunt ſeptuaginta hebdomades Danielis in primo Cyri anno, interceſſerint ſexagintanovem hebdomades uſq; ad Chriſtum Ducem. Quod intelligitur, ut rectè notavit Pater Suarez in tertiam partem diſput. 1. ſect.2., uſque ad tempus, quo palàm in exercitio cœpit Dux manifeſtari, prædicare, & docere poſt Joannis Baptiſmum, de quo inferiùs aliqua ſuo loco dicemus: non autem ab Incarnationis, vel nativitatis ejus momento, à quo multò pluſquàm medietas unius hebdomadæ, in qua interfectus eſt, computatur.

Tempus autem importatum nomine hebdomadæ in ſacris literis, vel eſt ſeptem dierum numerus, ut Levitici cap. 23. verſ. 15. numerabitis ergò ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptē hebdomadas ple-

nas uſque ad alteram diem expiationis hebdomadæ ſeptimæ, ideſt quinquaginta dies; vel eſt ſpatium ſeptem annorum, ut Levitici cap. 25. verſ. 8. exprimitur: numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, ideſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadragintanovem. Cumque nequeat in præſenti fieri ſermo de priori hebdomadum genere, quæ finiuntur breviſſimo intervallo unius anni, & quatuor menſium, duobus, vel tribus diebus adjectis; eoquod tàm brevi confinio non poterant contingere, atque claudi, quæ in prophetia dicuntur futura in ſeptuaginta hebdomadis, remanet fuiſſe hebdomadas annorum, aſcenditq; earum ſumma ad quadrigentos nonaginta annos. Idque inſuper ſuaderi poteſt ex Ambroſio ſecundo in Lucam commentario, nàm quarti libri Eſdræ cap. 7. verſ. 28. (quamquàm non ſit canonicæ authoritatis) habetur Chriſtum revelandum eſſe, ideſt naſciturum

poſt

poſt quadrigentos annos, quibus ſi addas trigintatres annos vitæ Chriſti, ex hebdomadibus ſexagintanovem cum dimidia, ſupererunt quinquagintatres circiter anni, quibus Eſdras fuit Daniele poſterior. Undè apud Galatinum lib. 4. cap. 14. Rabbi Abraham magnus apud Hebræos Doctor inquit: dixit venerabilis Magiſter noſter Seadias, quod iſtæ ſeptuaginta hebdomades annorum ſunt. Quod autem quidam ex Judæis, ut idem refert Galatinus, hebdomadum nomine hoc loco, non ſeptem annorum, ſed ſeptem Jubilæorum, vel centenariorum ſpatium intelligi deberi, aſſerunt; cum id obtendant, quando his Danielis ſermonibus ad veritatem confitendam eos cõcuti, atque coarctari contingat, proditur ut falſum omninò, & voluntariè excogitatum, nec in aliquo Scripturæ loco veriſimiliter fundatum. Poſſet enim hebdomada extendi ſimiliter ad ſeptemmillia annorum, imò etiam ad ſe-

ptem centeneria millium annorum, & ultra; & ſic prophetia nihil haberet certi, quo nihil abſurdiùs. His adde, quod eorum impudentiam Gabriel obtudit, prædicendo defectura Sacrificia, nec nō alia mala eventura, quæ ſub Tito jàm accidiſſe ſupra comperimus. & ſanè quemadmodùm Jeremiæ cap. 25. prædicitur captivitas ſub Rege Babylonis tunc duratura ſeptuaginta annis, donec imperaret Cyrus Rex Perſarum, à quo liberarentur Hebræi, ità recoli debuiſſet hæc ultima captivitas, ac Templi deſolatio, civitatiſque vaſtatio duratura ſeptuaginta hebdomadibus, & poſteà ſuperaddi de adventu Meſſiæ, cujus oppoſitum compertum novimus, dùm in ſeptuageſima hebdomada traditur Meſſiæ, ac Ducis præſentia, poſt cujus mortem erit abominatio deſolationis, cum deficientia Hoſtię, & Sacrificii, non duratura ſeptuaginta hebdomadibus, ſed uſque ad conſumationem, ac finem, tanquàm

quàm pœnalis quidam effectus ſecutus ſequela negationis, qua Chriſtum Ducem eſſet ejuſdem populus negaturus.

Adhùc tamen non modica remanet quæſtio diſceptanda, quæ & Catholicos diviſit Authores non exigui nominis, multis eorum contendentibus ſeptuaginta hebdomadum annos fuiſſe lunares, undecim ſcilicet diebus minores annis ſolaribus; eo quia Angelus loquebatur Danieli, qui Hebræus erat, & Hebræi per annos lunares computant. Verùm, ut ab hoc incipiamus, quamquàm Hebræi pro aliquorum feſtorum mobilium celebratione annis lunaribus uterentur, ut celebrarent ſemper ſecundùm legem Paſcha quartadecima luna poſt æquinoctium vernum, ex hac eadem ratione deducitur, eos paſſim uſos fuiſſe annis ſolaribus, in tertio enim quoque anno lunari ad minus intercalabant alium menſem, ut tredecim conſtaret menſibus (quod

apud Græcos fuit etiam inſtitutum, ut refert Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 24.) ſicque lunares annos æquabant ſolaribus, idq; teſtatur Junilius Afer in primum caput Geneſis. Aliàs explicitis multoties duodecim menſibus lunaribus, primus menſis anni ſequentis, in cujus quartadecima debuiſſent celebrare Paſcha, contingere potuiſſet ante æquinoctium vernale, & quod per replicatam detractionem undecim dierum fuiſſet menſis Decembris, & ſic proportione ſervata ad alios menſes retrocedendo. Undè multo magis aſſerendum eſt, annis ſolaribus Hebræos uſos fuiſſe in annorum ſupputatione, quibus ætatem hominum, ac Regnorum, aliarumve rerum durationes metiebantur, alioquin tota veteris teſtamenti ſeries incerta nutaret. Quod ſi præcipuè in temporum menſura conſuetudine uſurpatum erat anni ſolaris inceptio ſecundum planum, & communem morem, cur dicen-

dum

dum erit, Angelum in numerandis ſeptuaginta hebdomadis noluiſſe ſe illi accomodare? At inquiunt, quo velatior, ac tectior fieret prophetia de tempore adventus Meſſiæ. Cæterum undè conſtat, voluiſſe de facto Angelum per annos lunares velatiorem, tectioremque edicere hujuſmodi prophetiam? Certè dùm in Scriptura prædicuntúr ſeptuaginta anni Babylonicæ captivitatis, & quicunque alii, nullus dixerit, ad tegendam prædictionem, eos fuiſſe lunares. Rurſùs ad velamen, arcanumque prophetiæ nihil prorsùs conducit, quod fuerint illi anni reipſa lunares, dummodò de hoc non ambigatur, cum facilè in calculum reduci poſſint, ſi verò dubitabile fuerit, non obſtat, quin re ipſa fuerint ſolares.

Neque nos movere debet, ſeptuaginta hebdomadas nuncupari abbreviatas, quaſi quod ſint annis lunaribus reſtrictæ, non autem ſolaribur extenſæ. Nàm dicuntur

abbreviatæ, quia longiſſima expectatio Meſſiæ, jamdiù Sanctis Patribus promiſſi, ad tempus ſeptuaginta hebdomadum erat redacta, & quia ſecundum divinam prædefinitionem ultra non erat prorogaonda: non quod, cum debuiſſet tardiùs venire, Deus miſericordia motus, voluerit quaſi decurtare tempus, ad afferendum ſalutis remedium, quod Immutabilitati divinæ repugnat. Propterea adhùc poſitis illarum annis ſolaribus, æquiſſima ratione ſalvatur, ſeptuaginta hebdomadas dici abbreviatas. Quod ſic ultrà manifeſto. Anni lunares ſine ſolaribus non procedunt; in eiſdem enim ſignis Zodiaci Sol, & Luna ſibi occurrunt, Luna peragente ſuum curſum Synodicis menſibus vigintinovem ferè diebus; eadem igitur erit ratio de quadrigentis nonaginta annis lunaribus, & de quadrigentis ſeptuagintaquinque circiter ſolaribus; undè ſi illi dicuntur abbreviati per reſpectum ad quadrigentos

tos nonaginta ſolares, pariter quadrigenti ſeptuagintaquinque anni ſolares, qui ſunt idem, ac prædicti anni lunares, dici poſſunt abbreviati, quia poterant eſſe quadrigenti nonaginta ſolares. At cur ſimili ratione quadrigenti nonaginta anni ſolares non poterunt dici abbreviati, quia poterant eſſe quingenti, vel quingenti triginta, &c.?

CAPUT 14.

Meruerint ne Sancti Patres, qui Chriſtum præceſſerunt, ejuſdem Incarnationem.

AN autem Daniel ipſe, cæterique Sancti Patres, qui Chriſti Domini adventum præceſſerũt, præfato modo meruerint abbreviari, ſeù accelerari, ut alii loquũtur, Incarnationis myſterium, quæſtio eſt, de qua Theologi 3. p. qu. 2. art. 11. ac illius occaſionem ſummis labiis delibandæ libentèr ſuſcipimus exhiberi. Plura namque

videri poſſunt abundè, & eruditè diſcuſſa à noſtro ſapiētiſſimo Magiſtro Goloi 3. p. tract. 2. diſput. 13. Cum verò Incarnatio, ſicut & quodlibet creatum, in reali exiſtentiæ ſtatu fuerit expoſita ſingularibus, & determinatis induta circumſtantiis loci, temporis, & ſimilium, ſine quibus non potuiſſet realiter eſſe, decretum ejus ut extituræ præciſum à determinatione illarum non fuit. Qua de cauſa, eãdem militare rationem putamus in merito, quo ad ſubſtantiam Incarnationis, & quo ad accelerationem, quæ circumſtantia quædam temporis eſt; adeò ut, ſi Sancti Patres priorem non meruerint, nec ad promerendam poſteriorem fuerint ſufficientes: & è contrà, non aliter circumſtantias Incarnationem afficientes meruerunt (ſi illas meruerunt) niſi quia meruerunt, ut illa in re poneretur. Et quidem merito de condigno promereri non potuiſſe Incarnationem, tenendum eſt. Opera namque puræ creaturæ,

quan-

quantumvis ex gratia,& in gratia habituali patrata,in infinitum cadunt ab illius æqualitate proportionis, quæ in ſupremo omnium ordine unionis Hypoſtaticę collocatur.Prætereà principium,& cauſa meritoria quid promeritum eſſe repugnat, ut communi circumfertur adagio;ne idem ſit principium & terminus motus, cauſa & effectus à ſeipſo cauſatus, ſupponatur, & ſubſequatur ad unam eandemque rei formalitatem; quod, cum opus fuerit non longè poſt, brevitèr vindicabimus tamen. At qui divini Verbi Incarnatio Sanctis Patribus merendi fuit principium; etenim gratia quæcunque, undè meritorius eorum valor oriebatur, ab infinito meritorum Chriſti fonte proceſſit; quoniam quia pro omnibus adhùc ſibi tempore præcedentibus hominibus ſanguinis ſui valorem effudit, Apocalypſis cap.13.dicitur Chriſtus Agnus occiſus ab origine Mundi. Nec verò inficiamur,id congruè exponi poſ-

ſe, vel quia ab origine Mundi cœperit affligi in membris ſuis, mactatus in Abel, illuſus in Noe, expulſus in Abraham, perſecutionem paſſus in Jacob, venundatus in Joſeph, ſuorum fidelium pœnas, ut ſibi proprias, per quandam anticipatam paſſionem aſcribens, quemadmodum pariter, & cum Paulo Actorum cap. 9. invenitur poſtmodùm conqueſtus, Saule Saule quid me perſequeris? Quod nequaquàm pro afflictis membris dixiſſet, ſi eorum tormenta Caput noſtrum non tangerent, ut inquit Gregorius lib. 3. Moralium cap. 11., qui & infrà verſus medium ſubdit: membra noſtri Redemptoris extiterunt etiam, qui ab ipſo Mundi exordio, dùm piè vixerunt, crudelia paſſi ſunt. Vel quia ab Orbe condito præfiguratus fuit occidi, ut ad Hebræos cap. 9. lect. 5. tradit Angelicus, innumeriſque typis, legalium umbris, myſteriorum Sacramentis, victimarumque figuris, ejus paſſio, qua in Sacrificium ſe

ob-

obtulit, myſticè agebatur. Nàm contrariæ nequaquàm ſunt explicationes præfatæ, ſed comprobant eam primo loco productam; ſiquidem non aliter illi priores juſti membra fuerunt Chriſti, quam in ea derivando vitales gratiarum influxus, nec aliter vetera illa ſigna Salvatorem omnium adumbrabant, niſi quia eis utentes, in fide fuerunt ejuſdem juſtificati, ut ſuper illa verba ad Romanos cap. 3., quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum, idem tradidit D. Thomas lect. 3., inquiens: virtus Sanguinis Chriſti operatur per fidem hominis, quam quidem fidem habuerunt illi, qui præceſſerũt Chriſti paſſionem, ſicut & nos habemus, ſecundæ Corinthiorum 4. habentes eundem ſpiritum fidei credimus. Cum igitur res ità ſe habeat, quod ſupernaturalia queque tributa illis fuere per Chriſtum,

non

non potuit ejus miſſio de facto effectus eſſe de condigno promeritus per gratiam Sanctis Patribus collatam, adhùc ſi ab illius æqualitate non caderet. Quandoquìdem meritum de condigno nequit non ſe tenere ex parte principii merendi, qua ratione debet carere quicũq; effectus per principiũ merendi promeritus. Ad quæ propterea advertens, ſapienter Apoſtolus ad Titum 3. protulit: apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.

Quia tamen Geneſ. cap. 22. Abrahæ, prompto animo jàm jàm offerenti filium ſuum Deo in Sacrificium dictum fuit: benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ, & pſalmo 11. propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus, aliiſque locis tribui videtur antiquis Patribus

bus aliquod meritum, ex quo Deus motus fuerit ad tàm inſigne beneficium humano generi conferendum, illiuſque circumſtantias citiùs properandas; ac ſpecialiùs de Virgine Matre canat Eccleſia, Regina Cæli lætare, quia quem meruiſti portare, &c. Idcircò ſuſpirantibus illis, atq; ſimilibus precibus, rorate Cæli deſuper, & nubes pluãt juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem: emitte Agnum Domine Dominatorem terræ: inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me, aliquod concedere meritum adventus Meſſiæ, quod de congruo vocant, non abnuimus. Quod & fecit Angelicus adducto loco tertiæ partis proferens in fine corporis: ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem deſiderando, & petendo: congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant. Cujus oppoſitum non docuit in 3. diſtinct. 4. quæſt. 3. art. 1. inquiens, quod tota plenitudo Divinitatis ha-

habitet in homine, nullo modo poteſt cadere ſub merito, niſi largè meritum dicamus omnem præparationem ad aliquod habendum. Solum enim excludit meritum de condigno, cujus comparatione meritum de congruo largè dicitur meritum; ut ſeipſum explicat in prima reſponſione ad ſecundum, quod ſcilicet gloſſa illa adducta in argumento loquitur de merito congrui, & non de merito condigni, quod propriè dicitur meritum.

Neque rurſùs contra hujuſmodi meritum de congruo reperitur, obſtare aliquam ex repugnantiis militantibus adverſum meritum de condigno, cum æqualitatem ordinis ad rem promeritam non expoſcat, funderturque ſolum in quodam imperfecto jure amicitiæ, quo congruum eſt, ut amicus amico condeſcendat in petitionibus adhùc excedentibus. Inſuper meritum de congruo ad differentiam meriti de condigno, verè efficienter

ter moraliter ſibi inferentis,& conſtituentis præmium,exercet reſpectu rei promeritæ genus ſolius cauſæ materialis, & diſpoſitivæ,ut res,quæ liberaliter, nec ex jure, ut verum præmium confertur, congruo ſui decore, atque decentia exponatur, atque communicetur hominibus,nec non (in re noſtra loquendo) ad ipſiuſmet Altiſſimi benèficium, quod ſibi de jure vindicare non poſſunt, ad minus deſideriis incaleſcendo ſe præparent, atque diſponant. Quod tamen nullum inferre poterat præjudiciū cauſalitati meritoriæ operū Chriſti Domini; adeòque nequibant eximere opera Sanctorum Patrum, quin eſſent ab ejuſdem valore quid de jure, & de condigno promeritum. Neque enim Incarnatio cenſenda eſt, hauſiſſe à precibus Sanctorum Patrum, vel motivum exiſtentiæ decretalis, quæ à divini muneris largitate ſolum ducebat originem: vel promerendi virtutem, qua tanquàm à principio cujuſ-

cujuſcumque meriti potiebatur à dignitate ſuppoſiti, neque tandem ab eiſdem pendebat, ut ab aliqua intranea præexigita ratione ad exiſtendum, & promeritoriè operandum, ſiquidem independenter à qualibet humanæ mentis congruitate Dei pietas, cujus Spiritus, ubi vult, ſpirat, effulget. Et quia, ut à contrario clareſcat doctrina, Virginis Mariæ Maternitas intraneè præexigebatur, ut ejus filius haberet eſſe, & in rerum naturis operaretur meritoriè, idcircò veriùs autumant Thomiſtæ, Chriſtum Dominum meruiſſe quidem omnem, gratiam, & gloriam ſuæ Puriſſimæ Genitrici, non autem illius Maternitatem, ſicut nec ſui Incarnationem, quæ ex Maternitate exiſtens facta eſt; ut etiam tradidit Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. dicens; neque retributa eſt iſta generatio, ſed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati Chriſtus de Spiritu, & Virgine naſceretur.

At

At ſtatìm inquies: Si ſemel aſſignabilis eſt differentia inter meritum de congruo, & meritum de condigno, ratione cujus ſuſpiria Sanctorum Patrum potuerunt de congruo Incarnationem mereri, ſecus verò de condigno, jàm ratione ejuſdem differentiæ fas erit aſſerere, Chriſtum Dominum potuiſſe promereri de congruo ſuimet Incarnationem, quamvis illam nequiverit de condigno mereri. Et quidem non defuere Theologi, qui mutuæ cauſalitati innixi in diverſo genere cauſæ, id poſſibile autumarunt, quanquàm propter Patrum, præcipuè Auguſtini authoritatem, unionem Hypoſtaticã ultrò, & abſolutè fatentium abſq; meritis Chriſti gratuitò fuiſſe factam, id accidiſſe de facto, auſi non fuerint admittere. Contra eos tamen non agimus in præſenti uſq; ad ſolutionem argumẽtorum, quæ ab exemplis ducuntur, ut militis accipientis arma à Rege in præmium ſtrenui certaminis faciendi

per

per eadem arma; ſiquidem nolumus ad aliena tranſire, nec tanti ſunt, ut abundè non ſatisfiat in ſcholis cum D. Thoma 1. p. q. 23. art. 5. in corpore, & 1.2.q.114.art. 5. ad 3., per dependentiam præmii à propria militis ſtrenuitate, ab armis non dependente, à qua potiùs bonus eorum uſus dependet. Sed ſolum, ut neceſſe fuerit vindicare meritum Sanctorum Patrum de congruo reſpectu Incarnationis: Cum ad illam merita Chriſti non potuerint quaſi retrocedere penitùs; quidquid ſit, potuiſſe ipſum alterius perſonæ divinæ, vel ſuimet terminationem ad alteram naturam adhùc de condigno mereri.

Sic verò procedimus. Eadem indiviſibili formalitate nequit aliquid, cujuſcumque generis ſit, eſſe prius, & poſterius; quæcunque enim ſunt virtualiter contradictoria, reſpectu ejuſdem formalitatis ſaltem cōtradictionem, ac incompoſſibilitatem exercent; neque verò materia prima eſt prior, & po-

ſterior

ſterior cauſalitate formæ, ſed ſolum poſterior, licet prior ſit ſubjectione, ac ejuſdem paſſiva receptione: calor ut octo ſecundum quod diſpoſitio ultima eſt ad formam ignis geniti, non dicitur eam ſubſequi efficienter adhùc emanativè, ab igne quippè generante, tàm diſpoſitio, quàm mediante ea priùs ordine naturæ effecta producitur forma ignis geniti; atque ad rem noſtram propriùs accedentes, ut contra Pelagianos evincunt Theologi, cum nihil viribus ſolius naturæ factum proportione polleat diſponendi ad ſupernaturalem gratiam, actus diſponens ad illam ab auxilio ſupernaturali adjuvante potentiam efficienter procedit, nec proindè diſponere poteſt ad idem auxilium; ſiquidem, ſi ut diſpoſitio eſt, pendet ab auxilio, eoque eſt poſterior, quomodo poteſt diſponendo præcedere auxilium ſuum. Undè ſi nequit diſponere niſi dependenter ab auxilio, nequit diſponere ad

idem

idem auxilium,à quo in diſponendo dependet;ſic enim in eo,in quo dependet, eſſet prior eo, à quo dependet,quod manifeſtè repugnat. Similiter actus contritionis ultimo diſponens ad gratiam ſanctificantem,nec ponitur à Thomiſtis diſponere ad illam concurrentem per modum auxilii, quomodo ab eadem efficienter dependet, & eſt illa poſterior, ſed diſponere ad illam per modum habitus gratificantis ſubiectum, cujus tamen non dicitur meritorius,cū in illo priori nondùm intelligatur dignificatus ab hujuſmodi habituali gratia, ad quàm præviè diſponebat, & dùm in poſteriori ſigno intelligitur cū ſubiecto dignificatus per habitualem gratiam,non eſt ampliùs illius præhabitæ promeritorius, ſed ſolum gloriæ.Nunc verò omnia merita Chriſti Domini Incarnationē ſubſecuta fuere; quia utcunque ſumantur operationes ſuppoſiti erant, & non alterius quam Divini,in humana ſubſiſtentis natura.

Quam-

Quamvis enim detur, ſubſtantialem aliquam naturam omni ſubſiſtentia ſpoliatam ſupernaturaliter exiſtere,& operari poſſe;ſi tamen, dùm operatur, ſubſiſtentia terminatur, intelligere aliquam ejus operationē prioritate naturæ ſuppoſitum præcedere, in adiectis repugnare cenſemus. Quoniam operari ſequitur adeſſe completum rei, cum priùs ſit, rem in ſeipſa compleri,& poſteà ad opus prodire;quod non aliter verificatur,nec quidquàm aliud exigitur,niſi quod operatio, & ſi efficiatur in eodem inſtanti, quo res ipſa producitur, procedit tamen à natura ſoppoſitata realiter.Ergò jàm in prædicto caſu cum poſterioritate operationis ad ſuppoſitũ ſingeremus prioritatem ſatis incompoſſibilem.Igitur ſi opera Chriſti Domini ſupponebant ſaltem prioritate naturæ Incarnationem Divini ſuppoſiti,non poterant ipſam per modum congruæ diſpoſitionis præcedere, aut promereri.

Et

Et quidem D. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. inquiens: quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat, eodem modo diſcurrendum eſſe docet de merito noſtro ad primam gratiam, qua regeneramur, ac de merito Chriſti ad ſui Incarnationem; Undè, ſi actus ab auxilio procedens repugnat promereri illud adhùc de congruo, ſeù diſpoſitivè, nec prima gratia habitualis pro merita eſſe poteſt per actus ab ipſa dignificatos: nullus actus Chriſti Domini præintelligi poterat præparare de congruo ad ſui Incarnationem.

Quæ ratio ſic breviùs, & fortè nitidiùs proponi poteſt. Quamvis idem poſſit eſſe prius, & poſterius reſpectu alterius in diverſo genere cauſæ, quando tamen eſt alteri ratio formalis cauſandi, vel ex parte rationis formalis cauſandi neceſ-

ſariò ſe tenet, nequit cauſalitate illius eſſe poſterius; eò quia cauſalitas in actu ſecundo nequit eſſe prior ratione formali, vel exigito ex parte rationis formalis, per quam cauſa conſtituitur in actu primo ſuæ cauſalitatis; & ſic, quia actus diſponens ad gratiam ſanctificantem, ut dicebamus, conſtituitur per dependentiam à primo auxilio, nequit intelligi, ut prior diſponere ad primum auxilium. Nullum ergò opus intelligi poteſt de congruo diſponere, ad quod conſtituit ipſum in ratione meriti de congruo, vel ſe tenet ex parte conſtituentis meritum de congruo, uti erat in Chriſto Domino perſonalitas, quia actiones, adeòque merita quæcunque ſuppoſitorum ſunt. Cæterum gratia Sanctorum Patrum non dependebat quantum ad rationem formalem diſponendi ab Incarnatione, ſed per propriam intrinſecam rationem formalem, ac virtutem id efficere poterat, etiamſi collata

Et quidem D. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. inquiens: quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis invenerit, ipſe in nobis præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat, eodem modo diſcurrendum eſſe docet de merito noſtro ad primam gratiam, qua regeneramur, ac de merito Chriſti ad ſui Incarnationem; Undè, ſi actus ab auxilio procedens repugnat promereri illud adhùc de congruo, ſeù diſpoſitivè, nec prima gratia habitualis pro merita eſſe poteſt per actus ab ipſa dignificatos: nullus actus Chriſti Domini præintelligi poterat præparare de congruo ad ſui Incarnationem.

Quæ ratio ſic breviùs, & fortè nitidiùs proponi poteſt. Quamvis idem poſſit eſſe prius, & poſterius reſpectu alterius in diverſo genere cauſæ, quando tamen eſt alteri ratio formalis cauſandi, vel ex parte rationis formalis cauſandi neceſ-

ſariò

ſariò ſe tenet, nequit cauſalitate illius eſſe poſterius; eò quia cauſalitas in actu ſecundo nequit eſſe prior ratione formali, vel exigito ex parte rationis formalis, per quam cauſa conſtituitur in actu primo ſuæ cauſalitatis;& ſic, quia actus diſponens ad gratiam ſanctificantem, ut dicebamus, conſtituitur per dependentiam à primo auxilio, nequit intelligi, ut prior diſponere ad primum auxilium. Nullum ergò opus intelligi poteſt de congruo diſponere, ad quod conſtituit ipſum in ratione meriti de congruo, vel ſe tenet ex parte conſtituentis meritum de congruo, uti erat in Chriſto Domino perſonalitas, quia actiones, adeòque merita quæcunque ſuppoſitorum ſunt. Cæterum gratia Sanctorum Patrum non dependebat quantum ad rationem formalem diſponendi ab Incarnatione, ſed per propriam intrinſecam rationem formalem, ac virtutem id efficere poterat, etiamſi collata

non ſuiſſet ex meritis Chriſti in caſu, quo Deus decreviſſet eos juſtificare independenter à beneficio Incarnationis; undè nec exiſtentia, quam de facto eorum gratia ſortita eſt, prout dependens à Chriſto, eſt aliquod eſſentialiter ſe tenens ex parte rationis formalis influendi ejuſdem numero gratiæ, quæ ſubindè benè potuit ad Incarnationem diſponere, ipſamque prout ſic præcedere, quamvis fuerit ad illam ſubſecuta, ut terminus per eandem de condigno promeritus; quia per diverſam rationem formalem remanet id, undè ſalvari poſſit prioritas, & poſterioritas in diverſo genere cauſę. Propter cujus oppoſitam rationem nequibant Sancti Patres ſe præparando mereri, adhùc de congruo ſuam primam gratiam, per quam conſtituebantur in eſſe principii cujuſcunque meriti ſupernaturalis proportionem habentis ad ſubſequentia ſupernaturalia dona.

Quidam Authores alia non-

mul-

multum à præcedente diſſimili via procedunt, ut ſalvent, Sanctos Patres de congruo meruiſſe Incarnationem, non obſtante, quod fuerint ab illa eorum merita dependentia. Inquiunt nàmque, decreta priùs à Deo, noſtro concipiendi modo, Incarnatione, & quidem decreto executivo, inſpiciente exercitium exiſtentiæ, requiſitum ad operandum, atque ad merendum: viſis deindè precibus, meritiſque Sanctorum, eorum intuitu fuiſſe iterùm, ac ſecundò volitam Incarnationem, & quaſi nova prædefinitione firmatam.

In hoc etiam modo dicendi remanet expediendum, quomodo pariformiter Chriſtus Dominus nõ meruerit ſui Incarnationem, ſaltem ut ſecundò volitam. Cujus inſtantiæ ſufficiens diſparitas petenda eſt ex eo, quod quemadmodùm prima gratia, quæ eſt principium cujuſcunque meriti, adhùc de congruo, fingi nequit, ut ſecundò volitam eſſe effectum meriti, ac pro-

indè ſui ipſius, ut primò volitæ, quia inter cauſam, & effectum penes realem entitatem intercedere debet diſtinctio realis, nec ſufficit penès extrinſecam denominationem primæ, & ſecundæ volitionis: ità, cum hæc diſtinctio realis reperiatur inter gratiam Sanctorum Patrum, & Incarnationem, ſecus verò in Incarnatione, ut primò, & ſecundò volita, benè potuit intuitu operum ab illorum gratia deſumentium valorē Incarnatio rurſùs decerni, ſecus autem intuitu actionum procedentium ab ipſamet Incarnatione. Id quod hac reflexione dilucidari poteſt. Deum velle Incarnationem ſecundo quodam actu, & novo quodam titulo, eſt virtualiter quidam actus volendi Incarnationem, etiam ſi non ſupponeretur priùs volita, adeòq; etiam ſi non eſſent merita per Incarnationem patrata; aliundè igitur erui debet ejus motivum, & independenter ab hujuſmodi meritis; quod tamen benè valet aptari

ri

ti operibus Sanctorum Patrum. Conſimili modo prima parte qu. 23.art.2.proceſſi, ubi inter effectus prædeſtinationis haud recenſendam ſuſtinui prædeſtinati ſubſtãtiam, ductus ea ratione, quod ſe teneat ex parte cauſalitatis prædeſtinativæ, ſine qua talis nequit eſſe cauſalitas; eſt enim prædeſtinatio tranſmiſſio creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ; undè ſicut ipſa tranſmiſſio, ſeù cauſalitas præſupponitur ut quid diſtinctum à quocunque ſui effectu, pariter & ſubſtantia ejus, qui prædeſtinatur; & ſicut tranſmiſſio nequit eſſe effectus ſui ipſius; ità ſubſtantia involuta in tranſmiſſione nequit eſſe effectus tranſmiſſionis. Et quidem hac de cauſa nullus dixerit, ſubſtãtiam ſagittæ eſſe effectum tranſmiſſionis ipſiuſmet ſagittæ in ſcopum: vel ſubiectum generationis eſſe effectum à generatione productum; & tamen non minus generatio eſt tranſitus activus ſubiecti de non eſſe ad eſſe formæ, quam

prædeſtinatio ſit tranſmiſſio prædeſtinati in vitam æternam.

Hanc autem rationem, ſi quid valet, æquè valere dixi, ad excludēdum placitum quorundã Theologorum autumantium, ſubſtantiam prædeſtinati, ad minus ut ſecundò volitam, eſſe ſuæ prædeſtinationis effectum. Quandoquidem quicunque effectus, ut talis nequit intelligi in eodem ſigno cum ſui cauſalitate, eſt enim ea poſterior; ſubſtantia autem prædeſtinati per quamcunque ſui iteratam acceptionem non extrahitur ab hoc, quod ſecundum idem ſuum eſſe præintelligatur in eodem ſigno cum prædeſtinatione, ut quid ſe tenens ex parte illius. Igitur per quamcunque ſui iteratam acceptionem non collocatur in ratione effectus prædeſtinationis; quia adhùc ut ſecundò volita non diſtinguitur realiter à ſeipſa, ut in eodem ſigno eſt cum prædeſtinatione, ſed ſolum penès extrinſecam denominationem, quæ inſufficiens

eſt

eſt ad tribuendam rationem effectus conſtituti ſecundùm realem entitativam dependentiam. Sufficiat, iſta leviter tetigiſſe, relinquẽdo Theologorum gymnaſiis urgere, ac reliquas infringere obiectiones, quibus paſſim meritum de congruo Sanctorum Patrum reſpectu Incarnationis exerceri, agitarique ſolet. Neque enim occaſione quadam illius, quod non directè ad nos pertinere putavimus, in animo fuit, aut par erat, omnia examine longiore diſcutere.

CAPUT 15.

Quot annos vixerit Mundi Salvator.

QUare reſumendo nunc ſeriem texere, ac ſeptuaginta hebdomadum annos, precibus Danielis, aliorumque Sanctorum præcedentium abbreviatos annectere ad priores Mundi annos, invenimus uſque ad Chriſti Domini mortem,

quæ in dimidio ſeptuageſimæ fuit hebdomadæ, numerum quadrigentorum octogintaſex annorum ſolarium cum dimidio interceſſiſſe; cum omnes ſeptuaginta hebdomadæ conſlent quadrigentos nonaginta annos ſolares. Verùm quia prioribus annis Mundi termille quadrigentis octogintaquinque, menſibus decem, diebus decem & ſeptem uſque ad expletam Babylonicam captivitatem, addēdi ſunt ex ſexagintanovem hebdomadis cum dimidia ſolum anni uſque ad Chriſti Domini nativitatem, idcircò detrahendi ſunt à præfatis ſexagintanovem hebdomadis cum dimidia anni, quibus vixit Chriſtus; quod cum non ſit ſatis exploratum apud Authores, inveſtigandum venit non exiguo labore id, quod probabilius apparebit ex ſacris literis. Id autem ut ordiamur: in primis, Chriſtum Dominum fuiſſe baptizatum à Joanne in triceſimo ſuæ ætatis anno, qui & fuit quintuſdecimus

Im-

Imperii Tiberii Cæſaris, traditur verbis illis Lucæ cap. 3. Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt Cęlum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, ſicut Columba in ipſum: & vox de Cælo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta. Ubi particula, quaſi, ſignificat triceſimum annum fuiſſe inchoatum, præcipuè ut ei adjungitur participium illud, incipiens, majoris explicationis gratia, ſeù potiùs determinatione quadam circa principium, non propè finem anni; propter quod, alterutram vocem ſuperfluè appoſitam, non eſt putandum. Quod ſi participium, incipiens, ad annos non referatur, ſed ad prædicationem eo tempore inceptam à Chriſto, ut aliqui volunt, adhùc ly, quaſi, nequit abſolutè ſignificare, quando id aliũdè non eruitur, triceſimum annum expletum, ſeù propè explendum, ſed diminutum, & inceptum. Atq;

ſentiunt communiter Doctores cũ D. Thoma 3.p.q.39.art.3. Neque cenſendum eſt, D. Bernardum contrarii ſenſus extitiſſe, dùm ſermone primo de Epiphania dixit: cum Chriſtus triginta annorum tempus exegiſſet in carne, qui ſecundùm Divinitatem idem ipſe eſt, & anni ejus non deficient, inter populares turbas ad Baptiſmum Joannis advenit; loquitur enim more Scripturæ, quo Lucas dixit cap. 2., poſtquàm conſumati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, & tamen non eſt putandum, cum legis tranſgreſſione Chriſtum circumciſum eſſe nono die: eſtquè ſenſus ſubindè, poſtquàm venit tempus octavi diei; & ſic paritèr Bernardus ſolum ſignificare voluit, Chriſtum baptizatum eſſe in tempore, quo exacto, erat triginta annorum, ſeù in triceſimo anno, quomodo exponi debet etiam Chryſoſtomus homil. 10. in Matthæum. Inceperat autem triceſimum ætatis annum per tredecim

dies

dies; ſiquidem adoratus eſt à Magis tertiodecimo die à ſua nativitate, & eodem die recurrentibus annis baptizatus eſt.

Primum docet D. Thomas 3. p. q.36.art.6.,eſtque non ſolum communis Patrum ſententia,viderique poteſt Nicephorus lib.1. cap. 13., ſed Melchior Cano lib. 11. cap.5. in ſolutione quinti argumenti teſtatur, eſſe Eccleſiæ traditionem, de qua D.Auguſtinus lib.4.de Trinitate cap.5.; atq; inſuper ſignificaſſe videtur Matthæus cap. 2. inquiens: cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam dicentes, ubi eſt,qui natus eſt Rex Judæorũ? Illud enim, ecce, ſubſequens ad Chriſti Nativitatem, rem ei proximam, & repente factam deſignat. Undè Chryſoſtomus homil. 2. ex 54. ſuper Matthæum inquit: Ecce, hoc eſt confeſtim, ut natus eſt,magnum Deum oſtenderunt in homine parvulo, & verbis,& acti-

bus, & muneribus ipſis. Per celebrationem verò hujus feſtivitatis ab Eccleſia ſexto Januarii rectè colligitur, breve illud tempus, per particulam illam, ecce, denotatum, inter Chriſti nativitatem, & Magorum adventum fuiſſe tredecim dierum; nàm eundem Dominum noſtrum natum eſſe viceſimo quinto Decembris die poſt mediam noctem præcedentis diei, Eccleſiaſtica traditione docemur à temporibus Apoſtolorum, proprio ejus die feſtum Dominicæ nativitatis celebrante, ut à Clemente lib. 5. Apoſtolicarum conſtitutionum cap. 12. traditur; quod & loco ſuperiùs adducto faſſus eſt Auguſtinus inquiens; natus autem creditur Chriſtus octavo Kalendas Januarii; quamquam de Ægyptis, aliter ſẽtire refert Baronius in Martyrologio, quos tamen hæreticos Baſilidis ſectatores fuiſſe, tradit Genebrardus lib. 2. pag. 207. Evincitur etiam ratione D. Thomæ; ſi enim revoluto anno, vel etiam duobus

annis

annis, Magi acceſſiſſent (ut voluit Epiphanius) non inveniſſent infantem Jeſum in Bethlehem; cum ſcriptum ſit Lucæ, cap. 2., quod poſtquàm fecerunt omnia ſecundum legem Domini, offerentes, nempè Parentes ejus ipſum puerum in Templum, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth. Et quidem nullibi in Scriptura aſſeritur, fuiſſe indè ſubſequentibus annis reverſos in Bethlehem, nec ſimilis hujuſmodi diſcurſus nulla urgente cauſa in Virgine Dei Matre putãdus eſt. Quod autem Herodes illuſus à Magis occiderit omnes pueros, qui erant in Bethlehem à bimatu, & infrà, majoris ſecuritatis cauſa, ne effugeret, quem quęrebat, potuit evenire; cum potuiſſet Herodes timere, ut ad tertium refert ex D. Auguſtino idem D. Thomas, ne Puer, cui ſydera famulantur, ſpeciem ſuam paulò ſupra ætatem, vel infrà transformaret. Quamquàm non deſunt, qui, Innocentium necem non ſtatim

tim recedentibus Magis, vel adhùc quadrageſimo à nativitatis die, quo Lucæ cap. 2. certum eſt, Beatiſſimam Virginem in Templo cum filio ſe præſentaſſe purificandam, ſecundum Moyſis legem, ſed etiam poſt biennium fuiſſe ſequutam, tradiderint; vel quia fuerit Herodes quibuſdam periculis agitatus, vel quia Romam petierit à filiis accuſatus. Omittimus hìc replicare, nullum reputari inconveniens, tredecim diebus præfatos Reges à regione illa Orientali, velocitati ad minus Dromedariorum proportionatis, adveniſſe; eamque probabile eſt, fuiſſe Meſopotamiam Syriæ, eo quod Origenes homil. 13. in num. ſcribat, ex Balaam, qui celebris erat apud habitantes Meſopotamiam, hos Magos habuiſſe ſcriptum, quod orietur Stella ex Jacob, & exurget homo ex Iſrael; & idcircò, quando natus eſt Jeſus, agnoverunt Stellam, & intellexerũt adimpleri prophetiam, quam populus Iſrael non intellexit.

xit. Niſi quis dicere velit cum Hieronymo, & Auguſtino: ſi ex diſtantibus Orientis partibus venerint, quod congruo tempore pro itinere perſolvendo Stella illis ante nativitatem Redemptoris apparuerit, ut tandem tertiodecimo die poſt Redemptoris ortum appulerint ad Præſepe. Qua rursùs de cauſa ſuſpicans Herodes, tunc fortè natum Infantem, ex quo ſydus antecedenter apparuit, adhùc immediatè poſt receſſum Magorum, quando poterat incepiſſe eſſe bimus, mandavit occidi pueros à bimatu, & infrà.

Secundum verò, eodem ſcilicet die recurrentibus annis baptizatum fuiſſe Mundi Redemptorem, Patrum eſſe traditionem, aſſerit Bernardus ſerm. 1. in Epiphania Domini his verbis: altera quædam apparitio, in Baptiſmate ſcilicet Joannis, ſicut à Patribus noſtris accepimus, hodie celebratur, quæ etſi longo poſt tempore, facta creditur hoc ipſo die. Acceditque Eccleſiæ,

cleſiæ, nedùm ſenſus in divino officio hymnis, antiphoniſque expreſſus, ſed & conſuedo, per quam utriuſque feſtivitas eidem aſcribitur diei tanquàm illius propria, nec ut una ex Conceptivis, ſeù in ratione feſti mobilis, celebratur. Quæ ratio pariformiter, ac vehementer ſuadet, eodem die recurrente poſt Baptiſmum anno, Dominum noſtrum ad nuptias invitatum in Cana Galilææ, primum illud patraſſe miraculum aquæ in vinum converſæ; D. Thomas enim cap. 4. in Matthæum inquit: tenet Eccleſia, quod tria miracula ſint facta in die Epiphaniæ, ſcilicet de adoratione Magorum, de Baptiſmo, & de converſione aquæ in vinum; oportet ergò dicere, quod à Baptiſmo uſque ad converſionem aquæ in vinum fuerit annus unus; quod & replicat cap. 2. in Joannem lectione 1., & 2. infrà adducenda. Idem quoque Bernardus ſermonem Epiphaniæ ſecundum his aggreditur verbis: Tres apparitio-

nes

nes Dñi legimus uno quidem die, ſed non uno tempore factas. Quod & priùs Petrus Chryſologus ſerm. 156. in fine cōplexus fuerat, Chriſtum aſſerens, diverſo tempore, uno eodemque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce, quæ de Cælo facta eſt in Baptiſmo, agnitum fuiſſe. Nec, quia Auguſtinus ſerm. 27. de tempore aſſerit, de ſolemnitate hujus diei diverſam eſſe veterum traditionem, putandus eſt, non favere communi ſententiæ; ſiquidem omnium trium traditionem à diverſis haberi recenſet, non tamen mutuo ſibi repugnantibus, & excludentibus, quod ab alio traditur, eſſe profertur. Particulam inſuper (vel) qua utitur Divus Maximus homil. 1. in Epiphania, non cogimur disjunctivè illam accipere; cum a latinis ut copulans, pro etiam, apponi ſoleat; undè & ſubdit: quam rectè tria iſta nobis uno acta in die myſteria prædicantur, qui ineffabilis Trinitatis arcanum uno Dei

ſub

ſub nomine confitemur. Et ſanè, cum præfata particula, vel, æqualiter afficiat omnes tres illas feſtivitates, jàm ex D. Maximo de qualibet illarum in dubium revocari poſſet, eveniſſe ſexto Januarii die, cum tamen de Magorum adoratione id ambigere nemo ampliùs audeat.

Eodem Baptiſmi tempore, ut ad reliqua ſuo ordine pergamus, voce facta de Cælo, quaſi munus prædicationis exercendum Salvator noſter aſſumpſit, ut fatentur Expoſitores illi, quos eis verbis: erat Jeſus incipiens quaſi annorum triginta, non incongruè velle diximus, ly incipiens, ad prædicationem referri, quam exordiens erat triginta annorum; undè D. Thomas 3.p.q.39. art.3. inquit: Chriſtus baptizabatur, quaſi ex tunc incipiens docere, & prædicare; quod factum eſt, inquit, ad ſecundum, ne ante præfatam ætatem aliquis præſumptuosè prælationis gradum, & docendi officium aſſumat, ut etiam

priùs

priùs tradiderat Gregorius Magnus in paſtorali admonit. 26. inquiens: ante tricennale tempus in terra Magiſter noluit fieri, ut videlicet præcipitatis vim ſaluberrimam timoris infunderet, cum ipſe etiam, qui labi non poſſet, perfectę vitæ gratiam nonniſi perfecta ætate prædicaret. Quos & Gregorius Nazianzenus in Catena relatus his arguit verbis: purgatur Jeſus, & tu purgationem contemnis? A Joanne, ac tu in tuum monitorem inſurgis? tricenarius, tu autem docendo, ſeniores lanugine prævenis? Nec alii diſſentiunt Patres, colligique ſatis videtur Patris Divini teſtimonio, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ubi quamvis non, ut in transfiguratione, fuerit expreſſum, ipſum audite, ad hoc tamen, ut ſubintellectum ordinabatur; ſicut & Spiritus Sancti in Columbæ corporali ſpecie deſcenſus, quæ & Divini verbi Pręconibus ſolet ad hoc ipſum ad aures advolare. Neque

enim

enim alia quavis ratione Lucæ cap.4. dicitur: Jeſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Jordane, niſi quia indè incepit Spiritus Sancti doctrina ad prædicationis officium exteriùs inſigniri; ut enim rectiſſimè inquit Auguſtinus cap.15. de Trinit., abſurdiſſimum eſt, cum jàm triginta annorum eſſet, accepiſſe Spiritum Sanctum, ſed venit ad Baptiſmum, ſicut ſine peccato, ità non ſine Spiritu Sancto. D.Thomas etiam 3.p.q.72.art. 1.ad 4. docens plenitudinem gratiæ, quam Chriſtus habuit à primo inſtanti ſuæ Conceptionis, declaratam ſolum fuiſſe in Baptiſmo, rationem aſſignat, quia non conveniebat ejus dignitati, qui eſt Sacramentorum author, ut à Sacramento plenitudinem gratiæ acciperet.

At quomodo, obiiciet quiſpiam, fertur, incepiſſe Chriſtum prædicare poſt nuptias, quas uno anno expleto poſt Baptiſmum contigiſſe meminimus? An fortè conveniẽs

erat,

erat, ab accepto munere integro vacaſſe anno? Communis reſponſio tradit, quod licet de publica prædicatione ad turbas primo illo anno in Scriptura nihil traditum habeamus, attamen, ne repente publicus prædicator prodiret, non otioſus in ſilentio vitam tranſegit, cum frequenter ad Joannem acceſſerit, ut crebro illius teſtimonio ſibi hominum fidem, ac authoritatem magis conciliaret; quin & privatis ſermonibus quoſdam edocuit, cœpitque diſcipulos congregare: qui & Joannis cap. 1. dixerunt ei, Magiſter ubi habitas? Quo nomine non appellaſſent, niſi jàmdudum privata ſaltem doctrina munus non incepiſſet exercere Doctoris.

Totum autem prædicationis tempus & privatæ, & publicæ Domini noſtri Jeſu Chriſti à Baptiſmate inceptum, abſolvi tribus annis, & aliquibus menſibus, qui effluxerunt à ſexto die Januarii uſq; ad ejus mortem, communiter autumant

tumant Expoſitores; ac eſſe Eccleſiæ traditionem, paſſim confitentur Patres, viderique poteſt Nicephorus lib. 1. cap. 29., quin Ignatius Martyr, qui tempore vixit Apoſtolorum, initium prędicationis Chriſti à baptiſmate, cujus mentionem fecerat, ſumens, inquit Epiſtola 5. ad Trallianos: triennium prædicavit Evangelium, ſigna, & prodigia patravit. Sufficiat nobis ultrà D. Thomæ authoritatem, ejuſdem adducere rationem cap. 2. in Joannem lect. 2. Notandum eſt, inquit, quod in Evangelio Joannis in tribus locis fit mentio de Paſcha, ſcilicet hìc, & infrà cap. 6., ubi fecit miraculum de panibus, ubi dicitur, erat proximum Paſcha dies feſtus Judæorum, & infrà cap. 13. ubi dicitur: ante diem feſtum Paſchæ. Undè ſecundum hoc Evangelium habemus, quod poſt miraculum de vino Chriſtus prædicavit duobus annis, & quantum eſt à diebus Baptiſmi uſque ad Paſcha (intellige publicè,

ut lectione 1. explicaverat) & referens quandam opinionem dicẽtium eodem anno, quo baptizatus eſt, nuptiis interfuiſſe, illi non adhæret; quia Eccleſia tenet contrarium: credimus enim, quod eodem die, quo Dominus baptizatus eſt, revoluto anno fuerit miraculum de vino. Et concludit: ſic ſecundum quod Eccleſia tenet, Chriſtus tribus annis, & dimidio prædicavit. Hoc eſt tribus annis, & a ſexto Januarii die uſque ad Paſcha.

CAPUT 16.

Quot Paſchata interceſſerint à nuptiis in Cana Galilææ ad Chriſti Domini Paſſionem?

IN contrarium tamen moleſta nimis ſe offert obiectio. Nàm Joannis 5. habetur: poſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam; neq; verò hujuſmodi feſtum erat hyemale, puta anniverſariæ inſtaurationis Templi

pli ſub Zorobabele,& celebrabatur tertia die Februarii: vel potiùs feſtum ſortium fieri ſolitum in quartodecimo, & quintodecimo die ejuſdem menſis ab Hebræis Adar vocati, ut voluerunt Cajetanus, & Cano lib. 11. cap. 5. in fine ſolutionis ſexti argumenti. Quoniam nomine feſti abſolutè, & ſine addito dicti, minus conſonum videtur ſignificari aliquod feſtum non principale, ut erat Templi dedicatio, vel feſtum ſortium. Hac enim ratione Exodi cap. 23. mandatum erat à Domino, ut omne maſculinum generis Judęorum coràm ipſo ſe pręſentaret tribus diebus, Paſchę ſcilicet pro felici tranſitu Maris rubri, Pentecoſtes, qua quinquageſimo die ab egreſſu de Ægypto Iſraelitæ acceperunt legem; & ſcenopegiæ, ſeù tabernaculorum, in memoriam quadraginta annorum, quibus habitaverunt in tabernaculis in deſerto; quia præcipua erant, magnæque celebritatis, in quibus & Chriſtus Dominus aſcendere

dere ad Templum voluit, ne videretur legi contrarius, quam non venerat ſolvere, ſed adimplere; atq; ut multitudinem populi illuc concurrentis in diebus feſtis per ſigna, & doctrinam traheret ad Deum, ut docet D. Thomas cap. 5. in Joannem lect. 1. In aliquo igitur ex his tribus feſtis intelligendus eſt, aſcēdiſſe, dùm dicitur: poſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam. Sed neque erat dies feſtus Pentecoſtes, ut voluerūt Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, & Ugo Cardinalis; duplici de cauſa, primò quia à Paſcha ad Pentecoſten ſolum intercedunt quinquaginta dies; cum tamen cap. 4. præcedente, poſt Paſcha, in quo Chriſtus cap. 2. recolitur, ejeciſſe omnes vendentes de Templo, adhùc quatuor menſes remanebāt uſque ad tempus meſſis (quod in Palæſtina erat circa quartamdecimam primi menſis, in qua Paſcha celebrabatur, ut ex cap. 5. Joſue verbis illis colligitur: fecerunt

Phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Jericho: & comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes, & polentã ejuſdem anni)ergò feſtum Pentecoſtes præceſſerat, nec poteſt poni ut quid ſubſecutum ad hos quatuor menſes. Secundò quia in ſpatio quinquaginta dierum difficile ſatis videtur, Chriſtum Dominum à Jeroſolyma abiiſſe in Judæam, ibique moratum fuiſſe, ut Joannis cap. 3 dicitur, eaque poſtmodum relicta, per Samariam abiiſſe iterum in Galilæam, à qua regreſſus fuerit denuò Ieroſolymam. Cum igitur tale feſtum nullus dixerit, fuiſſe ſcenopegiæ, de quo fit mentio cap. 7., relinquitur fuiſſe feſtum Paſchæ, ut volunt aliqui Recentiores, pro ſe afferentes Euſebium, Hieronymum, & Theodoretum. Sicque tota labitur machina rationis Angelici Præceptoris; cum ultra illud Paſcha, quod interceſſit in anno inter baptiſmum, & nuptias, quatuor alia habeantur Paſchata. Ve-

Verùm, ſi à ſtatuto jàm medio, in quo virtus veritatis conſiſtit, declinare vellemus, cogeremur incidere neceſſariò, vel ad quatuor annos tribuendos Chriſti Domini prædicationi, ut fecit Pater Suarez 3.p.diſput.30.ſect.3., nullo pro hac ſua ſententia authore relato, pro qua tamen Genebrardus lib.2.pag. 213.Gerardum Mercatorem, non abſque aliqua, à qua nos abſtinemus, nota commemorat; vel certè per aliud extremum fateremur oportet, à Chriſti Domini baptiſmo uſque ad nuptias non interceſſiſſe annum, cujus oppoſitum, ut inquit D.Thomas, Eccleſia tenet, ſatiſque in ſuperioribus communivimus. Propterea abſolutè aſſerere, feſtum illud cap.5.Ioannis fuiſſe Paſchæ, & aliàs probabile eſſe, nuptias poſt integrum annum à Salvatoris baptiſmate celebratas fuiſſe, ut jàm pervulgata tenet ſententia, ſi tres ſolum anni cum communi Doctorum Chriſti Domini prædicationi aſcribantur,

nonnihil incohærentiæ ſapit; ità ut probabile admitti ad minus debeat, feſtum illud non fuiſſe Paſchæ;& ſicut ingenioſè occurritur à Pererio lib. 11. in Danielem rationibus contra integritatem anni elapſi à baptiſmate ad nuptias:ità & rationibus deberet occurri, evincere conantibus, feſtum illud Ioannis cap.5.non fuiſſe Pentecoſtes, ſed Paſchæ. Hujus ergò contrarium non ſolum firmatur illis motivis, quibus jàm ſupra ſtabilivimus, unius anni revolutionem à Baptiſmate ad nuptias cum aliis duobus annis,tribuſque menſibus aſſignatis prædicationi Chriſti Domini, ſed alia ſuadetur ulteriùs ratione, ſi non demonſtrativè,ſufficienter quidem. Nàm ſupra cap. 2. Paſchæ mentionem fecerat Evangeliſta; igitur ſi cap.5. nullo alio feſto interjecto inquit: erat dies feſtus Iudæorum, &c. hujuſmodi dies feſtus erat Pentecoſtes, qui immediatè cōſequitur Paſcha; quoniam,ſi loqui voluiſſet de quo-

piam

piam alio die feſto, relictis intermediis, expreſſiſſet illum ſuo proprio particulari nomine (non enim pro rebus ad hiſtoriæ notitiam deſignandis, tàm facilè recurſus eſt faciendus ad Antonomaſiæ figuram) cap. quippè 6. tranſitum faciens ab hoc die feſto, quicunque fuerit, ad aliud Paſcha, aliis omiſſis, illud proprio deſignat nomine Paſchæ. Et ſanè quoties ipſum Paſcha nominatur dies feſtus abſolutè, eſt quia in contextu habetur expreſſum, illum diem feſtum eſſe Paſcha. Sic cap. 13. in illis verbis eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, palàm fit ex illis antecedentibus, ante diem feſtum Paſchæ, & toto progreſſu capitis, diem feſtum Paſchæ remanſiſſe expreſſum abſque nova repetitione. Et, ut miſſum alia faciam, referens Matthæus cap. 26. quia poſt biduũ Paſcha fiet, quis dicat, quod dùm Principes Sacerdotum ſubdiderunt: non in die feſto, non expreſſerint Paſcha, tunc poſt biduum

incidens? Nulla igitur fuerit ratio in præſenti proprium Paſchæ nomen omittendi, ſi dies ille feſtus Paſcha fuiſſet; ac ſubindè, ſi diem feſtum abſolutè uſurpavit Ioannes, fuit, quia ex præcedente feſto Paſchæ, in quo priùs Chriſtus Dominus Ieruſalem morabatur, ſatis poterat eſſe conſtans, non alium feſtum eſſe, quam Pentecoſtes, ad primum illum diem feſtum conſecutum: eo vel magis, quod ſi ſecus fuiſſet, omiſiſſet Ioannes referre aſcenſum Salvatoris in Templũ ſecundum legem in die Pentecoſtes, cujus reliquis in locis non fit mentio.

Iàm verò ad inſtantias in contrarium ſupra prolatas aſſerimus primo loco, quantum eſt ex vi ipſarum non cogi quempiam concedere ea, quæ præmittuntur à Ioanne ad diem feſtum cap. 5., non accidiſſe tempore intermedio ad Paſcha cap. 2., & ad diem Pentecoſtes; ac ſubindè nihil proficere ad concludendum, diem feſtum il-

lum

lum Paſcha fuiſſe, & non Penteco-ſtes. Illa ſiquidem verba Redem-ptoris ad diſcipulos rogantes eum cap. 4., ut manducaret: nonne vos dicitis, quod adhùc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit, quolibet tempore proferri potuerunt exempli cauſa, etiamſi non eſſent expectandi quatuor menſes pro tunc proxima futura meſſe, ſed plures, vel pauciores; ſeù per modum proverbii, quod erat apud Hebræos, quo ſignificabant ſatis eſſe temporis, ut de aliqua re agenda cogitetur, ut rectè notavit Maldonatus, qui profitetur hanc expoſitionem tanquàm ſuam propriam, à nullo authore, quem ſe legiſſe meminit, adductam. Inveni tamen apud noſtrum Ugonem Cardinalem, clariſſimi nominis virum: verbum illud ſunt, exponi poſſe, ut dicat præſens confuſum (nonne vos dicitis, hoc eſt ſoletis dicere, quod adhùc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit) quaſi dicat, homines ſemper ſolent dicere, qui deſide-

rant tempus meſſis, ecce meſſis venit, & dicunt hoc quatuor adhùc menſibus intermediis, ſicut modo communiter dicitur in quolibet anno circa Paſcha, vel Pẽtecoſten, ecce parum deeſt circa Auguſtum. Et quidem vel ea, quæ ſequuntur: ecce dico vobis, levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt jàm ad meſſem, ſecundum literalem ſenſum veraciter aſſerebãtur de meſſe temporali terræ, & ſic de eadem non poterat eſſe dictum à diſcipulis, quod adhùc quatuor menſes ſunt pro meſſe: vel intelligebantur de ſpirituali meſſe, & jàm ſecundum quandam accomodationem ex eo, quod dici ſolet de meſſe terræ, nihil prohibet, quod fuerit ad ſuum intentum adductũ à Chriſto id, quod ſolet aſſeri ab hominibus ex jacto jàm ſemine expectantibus meſſem, ſivè tunc fuerint expectandi quatuor menſes pro meſſe, ſivè non, ſecundum quandam ſimilitudinem, & figuratè, ſeù parabolicè, ut voluit Ori-

genes

genes relatus à D.Thoma tàm cap. & lect.4.in Ioannem, quam in ſua aurea Catena, inquiens: qualiter quidem non eſt inconveniens hoc, quod eſt,levate oculos veſtros,&c. allegorizzare,quod autem dicitur: nonne vos dicitis, quoniàm quatuor menſes ſunt, & meſſis venit, non ſecundum allegoriam tractare? Quam doctrinam approbans D. Thomas exponit. Cum enim opinio,ſeù hæreſis Academicorum eſſet, cui diſcipulorum plurimi adhærebant,putantium cognitionem veritatis in alia vita reſervari,nihilque pro certo ſciri poſſe in iſta vita,quæ corruptioni ſubjacens quatuor elementorum, rectè uſurpatur pro quatuor menſibus, poſt quos meſſis, ſeù veritatis collectio fiet. Hujuſmodi non ſanam opinionem Incarnatum Verbum arguens inquit:levate oculos veſtros, conſiderationis præcipuè, ab eis, quæ deorsùm ſunt, ac à paſſionibus hujus vitæ carnalis illos erigite, & videte regiones, quia albæ

ſunt jàm ad meſſem, ideſt ità diſ-
poſitæ, quod ex eis veritas ſciri po-
teſt. Nàm per regiones primò, &
ſpecialiter intelliguntur Scriptu-
ræ, juxtà illud ſcrutamini Scriptu-
ras; & ex eis jàmpridem ſufficien-
ter quidem veritas eruebatur, ſed
non niſi virtute Redemptoris, &
tamen non cum tota plenitudine,
cum qua poſteà aperuit Apoſtolis
ſenſum, ut intelligerent Scriptu-
ras, ut habetur Lucæ cap. ult. &
ideò ſpecialiùs dicit adventu ſuo,
jàm regiones eſſe dealbatas ad
meſſem veritatis colligendam. In-
telliguntur ſecũdò ſenſibiles crea-
turæ, per quas elevamur ad inviſi-
bilia Dei authoris naturæ cogno-
ſcenda, ſecundum illud ad Roma-
nos primo, inviſibilia Dei à creatu-
ra Mundi per ea, quæ facta ſunt,
intellecta conſpiciuntur. Sed ta-
men Gentiles, qui earum cognitio-
ni inſiſtebant, culpa ſua erroris po-
tiùs, quàm veritatis fructus ex eis
perceperunt, obſcuratumque eſt
inſipiens cor eorum, ac ſtulti facti
ſunt

ſunt,dicentes,ſe eſſe ſapientes;quia non ſe elevantes ex eis, nec ultra pergentes, ſervierunt potiùs creaturæ,ut ibidem dicitur, quã Creatori;& ideò jàm Chriſto veniente, ut vera Mundi luce , albæ factæ ſunt regiones ad meſſem veritatis percipiendam.

At in ſecunda urgebant inſtantia : tempore intermedio inter Paſcha,& Pentecoſten difficilè videri, tot Redemptorem peragraſſe partes , quot ibidem recenſentur, atque iterùm Ieroſolymam rediiſſe. Verumtamen non eſt,cur iſta nimio exagerentur apparatu ; ſiquidem,ut tradit Chryſoſtomus à D. Thoma relatus cap. 3. lect. 4., duo erant loca in Iudæa , ad quæ multitudo confluebat Iudæorum, ſcilicet Ieruſalem in feſtis , & Iordanis,ad quem concurrebant propter prædicationem , & Baptiſmum Ioannis. Pro quo ſciendum, quod, ut inquit Remigius in cap. 19 Matthæi aureæ Catenæ paulò poſt principium relatus,omnis il-

la Iſraelitarum provincia generaliter Iudæa dicebatur ad comparationem aliarum gētium, verumtamen meridiana ejus plaga, in qua habitabat Tribus Iuda, & Tribus Beniamin, ſpecialiter dicebatur Iudæa ad diſtinctionem aliarum regionum, quæ in ipſa provincia continebantur, ideſt Samaria, Galilæa, Decapolis, & reliquæ aliæ. Undè, ſi Ieruſalem terra eſt Iudææ, dùm ab ea in Iudæam venit Chriſtus, ab una parte Iudææ ad aliam venit, à qua poſtmodum per Samariam, quæ contermina eſt Galilææ, & Iudææ, in Cana proceſſit Galilææ, undè demùm rediit Ieruſalem. Samaria verò quadraginta circiter milliariis diſtat à Ieroſolyma: ac tota Palęſtina, quæ complectitur Iudæam, Samariam, & Galilæam, peragi poteſt, ut ferunt, duobus diebus ſecundum ejus latitudinem, & quinque ſecundum longitudinem. Propterea perpendentibus Chriſti Domini charitatem, qua ergà ſalutem humani generis

neris ferebatur, nulli parcentis labori,cujus cibus erat, dùm eſſet ex itinere fatigatus,voluntatem facere Patris,qui miſerat eum,potuerit haud videri mirabile, ſi dierum ambitu quinquagenario e Ieruſalem per Samariam petierit Galilæam, indeque redierit Ieruſalem, etiam ſi moratus priùs dicatur Iudæę. Sic namque nedùm verbis hortaturus fuiſſet diſcipulorum animos,ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, ſed exemplo eos excitando, tanquàm ſignifer glorioſus, hoc etiam modo,ſi fuiſſet expediens arcano ſuæ ſapientiæ conſilio, ilibus ipſorum calcaria præparaſſet; ſucceſſores pariter promovendo, Vincentium Ferrerium,Franciſcum Xaverium,innumeroſq; omni tempore alios Apoſtolicos viros, ad Orbem terrarum luſtrandum, ut inter media rerum diſcrimina devictis erroribus,reſonaret Fides eorum.

Alia tamen via ſatisfaciendum eſſe putamus obiectioni. Fatemur

ergò

ergò ſecundum rei veritatem, diem Pentecoſtes, jàmdudum præceſſiſſe eo tempore, quo Chriſtus Dominus Ioannis cap. 4. poſt colloquium cum Samaritana habitum, diſcipulis rogantibus, quod manducaret, dixit: meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me; addiditque: nonne vos dicitis, quod adhùc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Seceſſus ſiquidem Salvatoris in Galilæam, ad declinandam Phariſæorum invidiam, de quo cap. 4. in principio, non accidit immediatè poſt ejuſdem adventum cum diſcipulis e Ieroſolyma in terram Iudæam, ubi demorabatur cum eis, & baptizabat: nec dùm fuerat Ioannes miſſus in carcerem; ſed poſt aliquos menſes. Undè Cardinalis Ugo præfata verba, nonne vos dicitis, quod adhùc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit, exponens, inquit: quaſi dicat: conſiderate ſegetes, & videte quod vix in quatuor menſibus erunt maturæ; & ſecundum hoc patet,

hye-

hyemis tempore hoc factum eſſe, in Novembri ſcilicet, vel Decembri, vel circa hoc; quia in Paſcha offerebantur primitiæ frugum maturarum. Et ex hoc perpenditur, quod hoc non ſit factum immediatè poſt illa, quæ dicta ſunt de ejectione ementium, & vendentiũ in Templo, quæ facta ſunt in Paſcha. D. Thomas etiam ibidem lect. 4. habet: datur intelligi, quod Chriſtus ſtatim poſt captionem Ioannis de Iudæa receſſit, ſicut dicitur Matthæi 4., & tranſivit per Samariam, & quod hoc fuit in hyeme, & Ioannes ſimiliter captus. Undè quia ibi tempeſtiviùs meſſes proficiuntur, quatuor menſes erant ab illo tempore uſque ad meſſem. Et quidem quæ de Ioanne ab eodem Angelico Doctore obſervantur, eis, quæ diximus, mirabiliter conſonant. In primis enim, Chriſtum Dominum de Iudæa receſſiſſe poſt captionem Ioannis, ultra verba Matthæi quarto, cum autem audiſſet Ieſus, quod Ioannes

tra-

traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam, & Marci 1., poſtquàm autem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam, inſinuatur etiam Ioannis cap. 3., ubi veniens in terram Iudæam morabatur cum diſcipulis, & baptizabat, necdùm Ioannes miſſus fuerat in carcerem; ex quo datur intelligi per hujuſmodi moram, dùm indè in Galilæam divertit, Ioannem in carcerem miſſum fuiſſe. Cum autem tempore Paſchæ, revoluto anno à Paſchate, quo poſt nuptias ejecit vendentes de Templo, fuerit decollatus Ioannes (quamquàm feſtum hujus decollationis celebretur eo die, quo caput ejus inventum eſt) quia ſtatìm poſt ejus decollationem Chriſtus seceſſit in deſertum, ut dicitur Matthæi cap. 14., ibique fecit miraculum de panibus, quod accidiſſe propè Paſcha exprimitur Ioannis cap. 6. Hinc rectè correſpondere conſpicitur, quod ex eodem D. Thoma jàm diximus, tempore hyemis præcedentis hoc Paſcha de-

col-

collationis conjectum in carcerem fuiſſe Ioannem; adeòque eodem tempore Chriſtum Dominum à Iudæa recedentem per Samariam pertranſiviſſe: quo & dictum fuerit, quatuor menſes ſunt, & meſſis venit. Aſſerimus itàque, noſtrum Redemptorem à terra Iudææ in die feſto, qui erat Pentecoſtes aſcendiſſe Ieroſolymam, ac poſtmodum ab eadem Iudæa, ubi morabatur, conjecto in carcerem Ioanne tempore hyemis per Samariam petiiſſe Galilæam.

At ſi prædicta ſunt vera, quomodo hujuſmodi dies feſtus Iudæorum, de quo diſceptatio eſt, ponitur ſubſequi ab Evangeliſta tranſitum illum per Samariam in Galilæam, imò ad miraculum, quo in Cana Galilææ filium Reguli, qui Capharnaum infirmabatur, ſanavit? Ad hoc verò, quod replicatur reſpondemus, diem illum feſtum ſubſequi nequaquàm poni, & ſi ſubſequenter ponatur ad diſceſſum in Galilæam per Samariam, ut

enim

enim idem Ugo Cardinalis inquit: Ordo ad præcedens unus eſt ſecundum tempus: tempus dico feſtorum; & tunc non ordinatur ad præcedens immediatè, ſed ad illum aſcenſum, de quo ſupra cap. 2.; ibi enim aſcendit in Paſcha, hic autem aſcenſus fuit in Pentecoſte ex Chryſoſtomo, & ratione, quia infrà in cap. 7. in Scenopegia, cap. 10. in Encæniis. Quod enim, ut cap. 4. verſ. 1. rectè tradidit Maldonatus, poſt reſponſum Ioannis præſtitum diſcipulis ejus cap. 3. à verſ. 27., de omnibus venientibus ad Chriſtum baptizantem, retulerit Evangeliſta cap. 4., reliquiſſe Iudæam, & abiiſſe iterùm in Galilæã, ſecutus eſt non temporis conſequentiam, ſed rerum ſimilitudinem; ſimiles nempè erant diſcipulorum Ioannis æmulatio, & Phariſæorum invidia; ideòq; cum de illa locutus fuiſſet, de hac loqui cœpit, narrans, quod ex ea fuerit conſecutum, Chriſtum in Galilæam diſceſſiſſe, & per Samariam pri-

mùm

mùm mulierem Samaritanam, deindè gentem totam commoviſſe. Aſcendit ergò Ieſus Ieroſolymam in die illo feſto Iudæorum tempore intermedio, poſtquàm venit in terram Iudeam,& antequàm diſcederet in Galilæam, ac Ioannes detruderetur in carcerem; quamquàm Evangeliſta proſequendo rerum ſimilitudines id omiſerit tunc referre, atque poſtmodùm cap. 5. retulit quadam occaſione enarrandi ejuſdem Ieroſolymæ civitatis Probaticam piſcinam; ubi infirmum triginta, & octo annorum, quem paralyticum fuiſſe plerique volunt, Dominus ipſe ſanavit. Undè ſenſus illorum verborum:poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum,& ſubſequentium eſt,quod poſt ea,quę ſupra narrata ſunt, ſecundum accomodam diſtributionem acciderint, quæ ſequuntur; itaut ſingula ſuis referantur correlativis: aſcēſus nimirùm in die feſto fuerit poſterus ad diem Paſchæ,& miraculum paralytici ad filii Reguli ſanitatem.

Quo

Quo conſimili modo intelligi debet D. Thomas; dùm enim inquit: poſt hæc, ideſt poſt miraculum in Galilæa factum, interjecto quaſi per parentheſim, quod dies feſtus erat Pentecoſtes, ad ſanitatem filii Reguli refert, ut quid poſterius, miraculum paralytici, dicens: locus autem miraculi deſcribitur dupliciter, ſcilicet generalis, & ſpecialis: generalis locus eſt Ieroſolyma, & ideò Ioannes dicit poſt hæc, ideſt poſt miraculum in Galilæa factum. Quomodò enim ſapientiſſimus Doctor, ſui immemor in præſenti cap. 5. dixerit, hoc feſtum Pentecoſten, ſi ſubſequens fuiſſet ad incolumitatem filii Reguli, imò ad colloquium Domini noſtri cum muliere Samaritana in hyeme habitum? Nàm, Pentecoſten præcedere hyems, nullus ignorat.

CAPUT 17.

Poſt ultimum Paſcha quanto tempore vixerit Chriſtus? & quonàm die contigerit ejus mors?

PRædicta præter morem tantiſper protraximus, ut, quoad nobis erat, firmiter vindicaremus, diem feſtum illum Ioannis cap. 5. Paſcha non fuiſſe; adeòque à ſexto die Ianuarii, quo poſt annum Chriſtus interfuit nuptiis, tria tantummodò uſque ad ſui mortem Paſchata celebraſſe. Adhùc tamen ultimo loco videndum remanet, an, & quanto tempore ultrà ultimum Paſcha pertraxerit vitam. Paſcha autem fuiſſe ſolitum celebrari apud Iudæos Luna quartadecima primi menſis, traditur manifeſtè Exodi cap. 12. verſ. 6. Servabitis eum, ſcilicet agnum, uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus, nempè primi in menſibus anni: immolabit-

bitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Porrò Mundi Redemptorem egiſſe Paſcha ſecundum hanc conſuetudinem, nec illud tempore anticipaſſe, conſtat ex Matthæi cap. 26., ubi prima die azymorum, quādo agnus immolatur, & fermentum abiicitur, quartadecima eſt primi menſis, & Luna eſt pleniſſima, ut in aurea Catena expoſuit Hieronymus. Quamvis enim ſeptem dies ſequentes Paſcha, vocentur azymorum, quorum primus erat Luna quintadecima, ac ſolemniſſimus apud Iudæos, quia tamen legaliter incipiebat à veſperis antecedentis diei, idcircò dies Paſchæ vocatur prima dies azymorum; quod & fecit Lucas cap. 22. verſ. 7. dicens: venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum, & Ioannem, dicens: euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus; undè Beda, diem azymorum Paſchæ quartamdecimam primi menſis appellat, quando fermento

abie-

abiecto,Paſcha, ideſt agnus occidi ad veſperam conſueverat. Apud Marcum verò cap.14.verſ.12. non ſolum hoc ipſum traditur,ſed etiã, Iudæos illo anno,eoquod occupati eſſent circà procurationem mortis Chriſti Domini,non indè tranſtuliſſe immolationem Agni Paſchalis uſque ad quintamdecimam; dicitur enim ibi:primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli:quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha.Quod à ſuis majoribus tàm legem tenaciter obſervantibus, non fuiſſe aliquando translatum,teſtatur Abben Ezra in 23. caput Levitici. Simul ergò, ut concludit D. Thomas 3.p.q.46.art.7.ad 1.Chriſtus,& Iudæi vetus Paſcha celebrarunt. Undè, ſi Chriſtus illud ad quintamdecimam non tranſtulit, neque tranſtulerunt Iudæi: &, ſi Iudæi non anticipaverunt, neque illud anticipavit & Chriſtus. Et licet Ioannes cap.13.aſſerat, quod ante diem feſtum Paſchæ Chriſtus

fa-

facta Cœna pedes diſcipulorum lavit, non ideò putandus eſt contrarius, quia loquitur ſecundum diſtinctionem naturalem dierum, ſecundum quam dies quartuſdecimus Lunæ præcedebat quintumdecimum ſolemniſſimum apud Iudæos, qui tamen legaliter incipiebat à veſperis diei quartidecimi, qua ratione Evangeliſtæ eum nominant primum diem azymorum. Id quod aliis terminis ſolet explicari, aliud nempè eſſe Paſcha, aliud diem feſtum Paſchæ; Ioannes autem non dixit ante Paſcha, ſed ante diem feſtum Paſchæ. Quod autem cap. 18 verſ. 28. dicitur, Iudæos noluiſſe intrare Prætorium, (& erat mane ſubſequentis diei ad quartamdecimam Lunæ,) ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha, Paſcha non dicitur ibi agnus Paſchalis, qui immolatus fuerat decimaquarta Luna, ſed dicitur cibus Paſchalis, ideſt azymi panes, quos oportebat comedi à mundis; vel poteſt accipi pro toto

feſto-

feſto Iudæorum, quod ſeptem diebus agebatur, ut ex Chyſoſtomo tradit loco cit. 3. partis Angelicus, ubi videri poteſt Nazarius, quibuſdam aliis occurrens obiectionibus non tàm magni momenti.

Quamquàm autem exprimatur ſolum ab Evangeliſtis, Chriſtum Dominum poſt Paſchæ celebrationem Crucifixum fuiſſe die, quæ erat Paraſceve, hoc eſt præparatoria ante Sabbatum; Marci enim cap. 15., poſtquàm Ieſus voce magna expiravit, paucis interjectis, ſubditur: & cum jàm ſero eſſet factum, (quia erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum) venit Ioſeph ab Arimathæa, &c., & Ioannes cap. 19. enarrans, quod Chriſtus inclinato capite tradidit Spiritum, inquit: Iudæi ergò (quoniam Paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, &c. Adhùc tamen ex ipſa narrationis ſerie certò deducitur, hujuſmodi diem Paraſceve, in quo Chriſtus obiit crucifixùs, fuiſſe quintamdecimam Lu-

næ immediatè ſequentem ad diem Paſchæ, quod proindè accidit illo anno feria quinta. Matthæi enim cap. 26. peracta cœna dixit Ieſus diſcipulis ſuis: omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte; & indè enarrata ejuſdem triplici oratione, poſtquàm per proditorem Iudam comprehenſus à turbis, miſſis à Principibus Sacerdotum, & ſenioribus populi, ductus ad Caipham Principem Sacerdotum, colaphis cęditur, aliaque ludibria ſuffert; ac ſtatim cap. 27. dicitur: mane autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, ac ſeniores populi adverſum Ieſum, ut eum morti traderent, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato: qui videns, quod nihil proficeret, flagellatum tradidit illum, ut crucifigeretur. Eadem referuntur à Marco cap. 14., nàm relatis, quæ Chriſtus Dominus paſſus fuerat poſt Cœnam in nocte apud Caipham, habetur cap. 15. Confeſtim mane con-

filium facientes ſummi Sacerdotes cum Senioribus, & Scribis, & univerſo Concilio, vincientes Ieſum, duxerũt, & tradiderũt Pilato: qui volens populo ſatisfacere, dimiſſo Barabbam, tradidit eum flagellis cæſum, ut crucifigeretur, ut factum fuit hora tertia, ſeù potiùs hora tertiæ partis diviſionis diei verſus illius finem, ut nobis explicavit Ioannes, qui diſtinctè enarrans, quæ Chriſto Domino acciderunt, quod ſcilicet mane exivit foras Pilatus, petiitque à miniſtris Iudæorum, quam accuſationem afferrent adverſum Chriſtum, cap. 19. habet, quod erat hora quaſi ſexta, dùm idem Pilatus ſedit pro tribunali, tradiditque Ieſum, ut crucifigeretur. Finis enim tertiæ, ſicut & tertia eſt, & dicitur, ita etiam dici poteſt altera pars immediata diei, ſcilicet ſexta, præcipuè ſi addatur particula, quaſi; ſicque utrumque optimè verificatur. Niſi ex D. Thoma 3. p. q. 46. art. 9. ad 2., velimus exponere: dici, Do-

minum noſtrum crucifixum horaꝫ tertia, ut Iudæis potiùs aſcribatur crucifixio, qui magis eum crucifixerunt, per modum ſcilicet cauſæ, dùm hora tertia clamaverunt, ut crucifigeretur. Utcumque fuerit, ſatis apertè deducitur, die ſequente ad Paſcha Chriſtum Dominum crucifixum fuiſſe. Eodem etiam ordine, quo poſt Paſcha comprehenſus fuit, & ductus ad domum Principis Sacerdotum, traditur indè Lucæ cap. 22. verſ. 66. Ut factus eſt dies, convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum; eundemque cap. 23. duxerunt ad Pilatum, à quo remittitur ad Herodem, iterùmque ab Herode redit ad Pilatum, qui adjudicavit, fieri petitionem Iudæorum, ut crucifigeretur, abſque alterius novi diei diſtinctione; ſolum enim verſ. 44. dicitur: erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque ad horam nonam. Unde & in Canone Miſſæ com-

memorans Eccleſia inſtitutionem Sanctiſſimi Sacramenti Corporis, & Sanguinis Domini, quod obſervata lege plenè cibis in legalibus, peractum fuiſſe in ſupremæ nocte cœnæ, eadem ex Angelico canit Eccleſia, decernitque Tridentinum ſeſſ.22.cap.1., inquit: qui, pridie, quam pateretur, accepit Panem in Sãctas, ac venerabiles manus ſuas. Hæc omnia præclarè explicans Venerabilis Beda in aurea Catena ſuper caput 14. Marci, primùm diem azymorum quartamdecimam diem primi menſis appellari, tradit, quãdo fermento abiecto, immolare, idest Agnum occidere ſolebant ad veſperam, quod exponens Apoſtolus, ait: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, qui licet die ſequente, ideſt quintadecima Luna ſit crucifixus, attamen nocte, qua Agnus immolabatur, & Corporis, Sanguiniſque ſui tradens myſteria celebranda, & à Iudæis tentus, ac ligatus, ipſius immolationis, hoc eſt paſſionis ſuæ ſacravit exordium.

Videri poteſt D. Thomas loco 3. partis ſuperiùs adducto, ex Matthæi cap. 26. inferens, quod cum primus dies azymorum dicatur quartuſdecimus dies menſis primi, quando Agnus immolabatur, & Luna pleniſſima eſt, ut Hieronymus dicit, conſtat, inquit, quartadecima Luna Chriſtum Cœnam feciſſe, & quintadecima eum eſſe paſſum.

Cum autem primus menſis apud Hebræos eſſet ille, cujus Luna quartadecima vel incidit in diem viceſimum primum Martii, in quo vernale accidit æquinoctium, vel propiùs talem Lunam ſequitur, hinc fit, quod prima Luna primi menſis incipere poteſt ab octavo die Martii, à quo incluſivè numerando uſque ad viceſimum primum Martii, habetur Luna quartadecima: nec poteſt ultrà quintum diem Aprilis expectari; nàm Luna prima in ſexto die Aprilis, vel poſt ſextum diem Aprilis incidens, jàm ſupponeret aliam Lu-

nam

nam quartamdecimam factam in æquinoctio vernali, vel poſt æquinoctium vernale. Undè ulteriùs deducitur, quod quartadecima Luna primi menſis progredi nequeat ultrà decimumoctavum, nec quintadecima ultrà decimumnonum diem Aprilis. Ut ſciremus autem, Chriſtum Dominum paſſum in quintadecima Luna primi menſis, quo die ex præfatis diebus poſt æquinoctium vernale uſque ad decimumnonum Aprilis diem fuerit paſſus, oporteret ſcire, quonàm ex diebus Martii, vel Aprilis eo anno, quo paſſus eſt, inciderit Luna præfata quartadecima, & quintadecima. Quod quidem nec in Sacris literis inſinuatur, nec, ut prudenter advertit Pater Suarez diſp. 40. ſect. 5., viderique poteſt Genebrardus lib.2.pag.214., certò haberi poteſt ex humana hiſtoria, vel ex tabulis aſtronomicis, cum in utriſque magna ſit varietas; ut enim de iſtis loquitur Maluenda lib.1.de Antichriſto cap.27., non

omnium tabulæ aſtronomicæ inter ſe conveniunt, ut facilè diſcerni non queat, quænàm ſit altera verior, exactior, certior, conſtantior. Ideòque variis relictis, quæ circumferuntur, ſententiis autumantium, Chriſtum Dominum obiiſſe viceſimatertia, vel viceſimaquarta, vel triceſimadie Martii, vel adhùc tertia die, & decimaſexta Aprilis, probabiliùs judicamus, utpotè communiùs receptum, necem Domini noſtri Jeſu Chriſti acciddiſſe viceſimaquinta die Martii: & ità Eccleſia videtur ſentire, dùm in Romano Martyrologio octavo Kalendas Aprilis habet: Jeroſolymis commemoratio Sancti Latronis, qui in Cruce Chriſtum confeſſus, ab eo meruit audire: hodie mecum eris in Paradiſo. Accedit Chryſoſtomus, qui in ſermone de Nativitate D. Joannis Baptiſtæ circà medium tradens, conceptum fuiſſe Dominum noſtrum òctavo Kalendas Aprilis, ſubdit: in qua die conceptus eſt, in eadem & paſ-

ſus;

ſus;quod & multo poſt replicat in eodem ſermone, addens de præcedente die cœnæ,quod Luna quartadecima occurrerit, & quod fuerit conceptus menſe Martio octavo Kalendarum Aprilium die Luna quintadecima. D. etiam Auguſtinus lib.4. de Trinit. cap. 5. inquit: ipſa perfectio Corporis Domini tot diebus, nempè 276., ad partum perducta comperitur,ſicut à majoribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit authoritas. Octavo enim Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus. Ac D.Thomas cap.2.in Joannem lect. 3.cum eodem D.Auguſtino docẽs, illa verba, quadraginta, & ſex annis ędificatum eſt Templum, hoc poſſe interpretari de Corpore Chriſti, quamvis Judæi ſuam referrent intentionem ad templum materiale:Quatenus ſicut humana conceptio ſex primis diebus procedit habens ſimilitudinem lactis, novem ſequentibus convertitur in ſanguinem;deindè aliis duodecim

ſolidatur, ac decem & octo diebus ad perfecta lineamenta omnium membrorum reducitur; ità in Corporis Chriſti formatione, ſingulare quidem fuit, quod in inſtanti fuerit perfectum, quantum ad omnia lineamenta membrorum, attamen pro debita corporis quantitate intercesſerunt etiam illi quadraginta quinque dies, quibus ſuperadditus alius propter Sacramentum unitatis, invenitur tot fuiſſe annos in fabricatione Templi, quot fuerunt dies in perfectione Corporis Chriſti. Siquidem, ſi accipiatur numerus ille ſenarius, quem primò aſſignavimus in Conceptione, & quadrageſimusſextus, qui erat ultimus, & ducatur unus in alterum, ex eis ſurgunt biſcentum ſeptuagintaſex dies, quibus in utero Virginis tandiù permanſit, quouſque ad quantitatem debitam perveniret. Quod eſt idem, ac ſi apertiùs dicatur, quod dies 276. intercedentes ab octavo Kalendas Aprilis ad octavo Kalendas Januarii inclu-

clùſivè,ſexies diviſi reſolvuntur in quadragintaſex, juxtà numerum annorum, quibus Templum fuit ſecundò ædificatum.Hæc,inquàm, docens, ſubdit ad rem noſtram: nàm ab octavo Kalendas Aprilis, in quo Chriſtus fuit conceptus, & (ut creditur)paſſus,uſque ad octavo Kalendas Januarii ſunt tot dies ſcilicet 276.

CAPUT ULT.

Operis Concluſio; Ubi aliqua de Mundi fine.

EX his omnibus,quæ neceſſariò duximus decernenda, deducitur, Chriſtum Dominum mortuum eſſe,dùm expleſſet à ſua Conceptione trigintatres annos, & a ſua Nativitate trigintaduos annos cum tribus menſibus. Nàm baptizatus fuit, dùm compleſſet viginti novem annos, & tredecim dies, expleto indè triceſimo, & tredecim diebus, interfuit nuptiis in

Cana Galilæę: tria verò ſequentia Paſchata, quæ interceſſerunt à nuptiis ad mortem, ſolum important duos annos, & id temporis, quod exigitur uſque ad Lunam quintamdecimam tertii Paſchæ, quam illo anno accidiſſe aſſeruimus viceſimoquinto die Martii, ad quem, computando à die viceſimoquinto Decembris ſuæ Nativitatis, per tres menſes pervenitur. Undè, ſi mortuus eſt in æquilibrio ſeptuageſimæ hebdomadæ cum dimidia (poſſet enim dimidia illa hebdomada, adducta in Danielis prophetia, non fuiſſe mathematicè talem, quod tamen ex Scriptura nobis non conſtat) ſequitur, natum eſſe anno ſolari quadringenteſimo quinquageſimoquarto, & tribus menſibus hebdomadum Danielis; de quadrigentis enim nonaginta annis ſolaribus, qui importantur in ſeptuaginta illis hebdomadibus, ſi tempus alterius medietatis hebdomadis, ac trigintaduos annos, & tres menſes vitæ

Chri-

ſti Domini demantur, quadrigenti quinquagintaquatuor anni, & tres menſes remanent. Qui rursùs ſi addantur annis Mundi 3485., menſibus decem, ac diebus decem & ſeptem, à quibus, tranſacta Babylonica captivitate, diximus initium habuiſſe hebdomadas ſeptuaginta Danielis, conſurgit numerus annorum Mundi, & proindè fit, Chriſtum Dominum noſtrum Redemptorem natum eſſe anno Mundi expleto termilleſimo nongenteſimo quadrageſimo, menſe uno, & diebus decem & ſeptem.

Nativitas Chriſti 3940. menſe uno, diebus 17.

Verùmtamen, ſi mathematicè prædicta ſumantur, opus erit ponere, Mundum fuiſſe conditum in ea ſolis poſitione, atque puncto Zodiaci, undè dies effulgeat, qui nunc eſt octavus Novembris, ut ſupra 3940. annos expletos addi poſſint menſis unus, ac ſeptemdecim dies, qui pro facti jàm calculi integritate exiguntur uſque ad viceſimumquintum Decembris, in quo natus eſt Chriſtus; quod ſanè

ut

ut ſatis inſolens, à veritate cenſebitur alienum. Recētiores namque Judæi ſecuti R. Eleazaris veſtigia, orbem fuiſſe conditum putant in menſe Septembris; undè & annum auſpicantur ab illius plenilunio, ſeù à Luna propinquiore æquinoctio autumnali, ſivè ſit antecedens, ſivè conſequens; feſtumq; tubarum, quod primo die ejuſdem menſis celebrabatur in memoriam liberationis Iſaac, quando Abraham invenit arietem hærentem cornibus, quem per cornua, quibus buccinabant, repreſentabant Hæbræi, caput nominant anni; à quo incipiunt numerantes diſtinguere temporum rationes, ac ſupputare rerum negotia. Sequitur Abulenſis cap. 1. in Geneſi q. 21. & 22. ea ratione ductus; quia nimirùm arbores in principio creationis habuerunt fructus maturos (quod pertinet ad Septembrem) nedùm quia Deus mandavit Adæ, & *Ævæ* eo die, quo fuerunt creati, ut comederent de fructibus Paradiſi, ſed

etiam

etiam quia aliàs non habuiſſent, quid comediſſent. Verùm recurrit hæc ratio ad menſem primi Martii ſubſequentis: & quomodo aliquæ ſaltem arbores potuerunt retinere fructus,& pro cibo, & pro ornatu, ac complemento,& ſimul floreſcere:ità aſſeri poteſt de aliquibus ſaltem arboribus, quod ſimul cum fructibus,vel paulò poſt flores emiſerint; ut conſimili quadam ratione,qua Adam, qui erat futurus caput, & Magiſter totius poſteritatis, productus fuit in ætate virili cum ſcientiis per accidens infuſis, præterirent communem nunc ordinarium morem, ac regulam, per additionem cujuſdam majoris perfectionis, non contrariam, ſed potiùs conſonam, tàm conditioni Creantis, cujus perfecta ſunt opera, quam exigentiæ illius primi ſtatus;ne dicamus,Deum quaſi coactum fuiſſe creare Mundum non niſi in menſe Septembris.Quapropter celebrior ſententia, quam alii communiùs ſequuntur,ac R. Jeho-

ſue

ſue etiam habuit, referunt Mundi productionem ad Martii vernale aequinoctium; Exodi namque cap. 12. menſis iſte principium menſiũ dicitur,& quod primus erit in mẽſibus anni: Chriſtus etiam vivifico ſuæ paſſionis cruore mundum in Martio renovavit. Qua ratione probè inquit Angelicus 3.p. q.46. art. 9. ad 3. tunc voluit Dominus paſſione ſua Mundum redimere,& reformare, quando eum creaverat, ideſt in æquinoctio.

Facilè tamen ſcrupulus ille adductus jàm ſupra,ſedari poteſt per recurſum ad annos incompletos,& fractos, in quibus accidit frequentèr, vel quod ſupputentur incepti, vel quod eis relictis,in computum veniant ſolum completi. Undè ex præcedentium annorum ſerie accidere potuit, ut annus termilleſimus nongẽteſimus quadrageſimus fuerit non expletus in decurſu octavi diei Novembris,cui nos addidimus menſem unum,& ſeptemdecim dies uſque ad Nativitatem

Do-

Domini, à qua adhùc effluere debuerint alii tres menſes pro ſuî complemento uſque ad æquinoctium vernale Martii, in quo ſecundum nos fuit conditus Orbis. Vel certè fuerit expletus ab hujuſmodi æquinoctio uſque ad octavum diem Novembris per ſeptem menſes, & tredecim circitèr dies, cum ſuper adiecto ulteriùs menſe, ac diebus ſeptemdecim. Circà has autem, & conſimiles combinationes nihil certi ſtatui poteſt, cum ſoli Deo ſit notum, atque Beatis, quibus ipſe voluit revelare.

Emergenti tamen ex dictis cuidam curioſitati occurrere debemus hìc pro coronide: an ſicut Mundi principium ad aliquem annorum calculum duximus: Ità determinatè ſciri poſſit & finis; Cum enim omnia menſurentur quadam periodò, ut dicitur 1. de generatione, cujus principium eſt determinatè ſcitum, & finis poteſt determinatè ſciri. Rursùs, nùm, ſicut antiqui Patres expectantes primum

Ad-

Adventum Redemptoris, tempus illius noverunt per numerum hebdomadarum Danielis; Undè reprehenduntur Judæi, quod Meſſię Adventum non noverint, verbis illis Lucæ cap. 12. verſ. 56. Hypochritæ, faciem Cæli, & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Ità expectantibus ejuſdem Chriſti Judicis ſecundum Adventum innoteſcere valeat, ſaltem illis hominibus, qui incipient videre univerſalis Judicii ſigna, quæ multa proponuntur in Scriptura, Matthæi cap. 22., & Marci cap. 13.

Verùm hujus humanæ mentis inane quæſitum obruunt illa Domini verba Matthæi cap. 24., & Marci cap. 13. de die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius (in quantum nos ſcire non facit) niſi Pater. Si enim Apoſtolis, quos Joannis 15. non dixit Chriſtus ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus, ſed amicos: quia omnia quæ-

cum-

cumque audivit à Patre, nota fecit eis (ut ſcilicet expediēs erat) Actorum cap. 1. inveſtigare ſatagentibus ſæculi finem, reſponſum fuit, non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in poteſtate ſua: quanto magis occultabitur cæteris? Undè omnes, quibuſcumque innixi fuerint motivis, in numerorum calculo, falli convincit D. Thomas 3. part. in addit. quæſt. 77. art. 2., quod à poſteriori dignoſci poteſt, eo quod, ut refert ex D. Auguſtino 18. de Civit. cap. 53., quidam dixerunt, ab Aſcenſione Domini uſque ad ultimum ejus adventũ quadrigentos annos poſſe compleri, alii quingentos, alii mille, quorum falſitas patet, & patebit ſimiliter eorum, qui adhùc computare non ceſſant. Quid ſimile obſervat Xyſtus Senenſis lib. 1. bibliothecæ ſect. 3. § Eſdræ lib. 3. & 4. Quamquàm enim verùm ſit, Mũdũ ſeneſcere, ut docuit Cyprianus ſcribens adversùs Demetrianum; & ex decremento rerum omnium, ac

vi-

viribus immutatis, & debilitatis elementorum, plantarum, & animalium, præſertim hominum, quorum corpora minora, ac debiliora nunc ſunt, quam olim fuerunt, facilè deprehendi poteſt: tempore tamen Eſdræ non erat in ultima ſui ſenectute; quaſi quod cum univerſum tempus mundanæ durationis diviſum fuerit in 12. partes, tunc præteriiſſent partes decem cum dimidia undecimæ; Sic enim tota illarum duratio jàmdudum ad terminum perveniſſet. Prçterquamquod, ultimam ætatem Mundi, quæ ſenectuti reſpondet, multo poſt Eſdram incepiſſe jàm diximus, à primo ſcilicet noſtri Redemptoris adventu. Et tamen nihil indè concludi poteſt determinatè, quando ſit imminens terminus ejus, ſicut etiam ſenectus, quæ eſt ultima ætas hominis, non habet determinatum tempus ſecundum menſuram aliarum, cum quandoque ſola tantum teneat temporis, quantum omnes aliæ

præ-

præcedentes ætates, ut rectè tradidit D. Auguſtinus lib. 83. quæſtione 58.

At in medium adduci ſolet: Mūdi ætates comparari ſex diebus Creationis ejus, quibus expletis per Sabbatum, quod ſucceſſit, quievit Deus ab omni opere, quod patrarat; Cum autem mille anni ante oculos Dei ſint tanquàm unus dies, qui præteriit, ut habetur Pſal. 89., videtur, quod etiam expleto ſexto millenario ab ejuſdē Mūdi productione, labor generationis humanæ finem habebit, ac perfecta requie perfruemur vitæ futuræ. Verùm facilè occurrimus, non eſſe definiendum hujus ſæculi ſpatium ſexmillibus annorum, tanquàm ſex diebus poſſe finiri, ut enim primæ ad Theſſalonicenſes cap. 5. inquit Apoſt., dies Domini ſicut fur in nocte, ità veniet, & 2. Petri 3. adveniet dies Domini ut fur, id eſt ex impræmeditatione, ut exponit D. Thomas ibidem lect. 2., explicans quomodo dies dicitur venire in

nocte,

nocte; quia ſcilicet in die veniet propter manifeſtationem cordium primæ Corinth. 4. Quouſque veniet Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; Sed in nocte propter incertitudinẽ. Quapropter verba illa, mille anni ante oculos tuos tanquàm dies externa, quæ præteriit, exempli cauſa ponũtur, nec aliud ſignificant, quam quod mille anni propter interminabilem ſtabilitatem divinæ Æternitatis, cum illa collati, ſunt tanquàm dies externus, qui præteriit; Quod planè non ſolum verificatur de mille annis, ſed de quolibet alio majori finito tempore; non enim, ut in enarratione ejuſdem Pſal. protulit D. Aug., quando hoc dictum eſt, ſolum mille anni prętelierant.

Duo quædam alia à quibuſdam afferuntur Judæis; Et quod primus verſus Geneſ. qui continet ſummam operum Domini ſexies literam Aleph exprimit; Aleph autem

mil-

mille ſignificat: Et quod ſex primi parentes Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui ſunt, ſeptimus Henoch vivus in Cælum translatus eſt; Poſt igitur ſex millenarios, quibus labor, & mors viguerit, ſeptimus erit initium quietæ, & immortalis vitæ. Sed hęc nullius ſunt ponderis, & frigidæ conjecturæ rectè vocantur à Genebrardo lib. 1. pag. 1. Ratio autem contra quaſcumque alias conjecturas procedens habetur à D. Thoma loco ſuperiùs adducto. Ex motu ſiquidem Cæli nequit cognoſci quanto tempore ſit duraturus, nec finis ejus; Cum enim ſit circularis, ex hoc ipſo habet, quod ſecundum naturam ſuam poſſit in perpetuũ durare; naturali igitur ratione ſciri non poteſt, quando fuerit finem habiturus. Motus inſuper Cæli, ut traditur 2. de generat. eſt propter continuam generationem in iſtis inferioribus, quæ rursùs ſunt propter generationes hominum, pręcipuè Electorum ad vitam ęternam,

nam, ut docent Theologi, ex illo Apoſtoli primæ ad Corinthios cap 3. omnia enim veſtra ſunt, ideſt veſtræ utilitati deſervientia, ſecundum illud Romanorum cap. 8., diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ut exponit D. Thomas lect. 3. Nulla autem afferri poteſt congruentia temporis, quo complebitur numerus Electorum, qui à ſolius Divinæ voluntatis pendet arbitrio; nulla igitur dabitur congruentia, undè venari poſſimus finem motus Cælorum. Imò, ut arguit D. Thomas in addit. quæſt. 88. art. 3. cognitio finis Mundi decenter reſervatur ſoli Deo; Sicut enim Mundus eſſe incepit immediatè ſolum à Deo, ità finis ejus immediatè ſoli Divinæ ſubiacet poteſtati; Quæ autem tali pacto ſe habent, non cognoſcuntur antequàm fiant à pura creatura, niſi fortè revelentur; per revelationem autem congruum potiùs erat, ut tempus illud hominibus eſſet ignotum, ut omnes ſemper

ſint

ſint ſolliciti, & parati ad Chriſto occurrendum. Quæ ratio cum non militet in animabus Beatorum, ſatis probabile cenſeo, quod tradidit noſter Xantes Mariales 1.p. quæſt. 12. art.10. cap.5., Beatos in ipſo ingreſſu ad Beatitudinem, & proindè in Verbo formaliter cognoſcere tempus futuri judicii, omneſque preces ad eos fundendas in ultima illa conflagratione. Congruentiæ ratio etiam eſſe poteſt; Quia ad eorum ſtatum pertinet, nec parum conducit accidentalis gloria corporum, qua complebuntur per reſurrectionem; & aliàs æquè ſalvari poſſit, ſe de illo die neſcire, ex ſeipſis ſcilicet, & ad manifeſtandum alijs.

Ad primum autem motivum, in principio quæſiti propoſitum, reſpondet D. Thomas art. 2. quæſt. 77. citatæ ad primum, quod tunc ex cognitione principii alicujus rei cognoſcitur finis ejus, quando ejus menſura eſt nobis nota; Menſura autem durationis motus Cæ-

li eſt Divina diſpoſitio, quæ eſt nobis occulta; & ideò, quantumcumque ſciamus ejus principium, finem ſcire non poſſumus, cum ex ſe non habeat determinatam periodum. Hinc verò deducitur non niſi temerè aſſertum à quibuſdam fuiſſe, motum Cæli defecturum anno, quem magnum vocant, completo: qui & verè vertens vocandus eſt, ut inquit Macrob. lib. 2. de ſomnio Scipionis; cum nimirùm omnibus ſyderibus in ſuum recurrentibus Orbem, poſtque omnium ſyderum contortionem ad eundem locum, undè digreſſa fuerunt, regreſſio fiat; ſeù quem, non Solis tantum, ſed Stellarum omnium, in quocumque Cælo ſunt, ad eundem locum reditus ſub eadem Cæli totius deſcriptione concludit. Et hunc quidem regreſſum, ut inquit Alexander ab Alexandro lib. 3. genialium dierum cap. 24., poſt duodecimmillium, & nongentorum quinquagintaquatuor annorum ſpatia; Mathematici fieri volunt; idque

idque Arabes in primis opinati ſunt: Nonnulli, quos & Phyſicos aſſerit idem Macrobius, nonniſi poſt quindecim annorum millia converſionem majoris anni fieri, indicarunt: Alii (quorum etiam meminerat D. Thomas quæſt. 91. art. 2. ad 8.) trigintaſex annorum millibus terminari dixerunt. At verò, quamvis probabiliter colligi ab Aſtrologo valeat, in quo ſitu corpora Cæleſtia ſint facta, conſiderato numero annorum, qui computantur ab initio Mundi, ut idem concedit Angelicus Doctor; Undè habent, in eodem prorsùs, quo Aſtra creata fuere ſitu, abſolvendas, & finiendas eſſe omnes Cæli revolutiones, ut indè deducere queant, quot anni ſuperſint uſque ad ſæculi conſumationem? Nonnè ex ſuperiùs dictis motus circularis Cæli nullum ſibi præfigit determinatum terminum; & cum poſſit ultrò ſemper durare, ità potuerit antecedenter ceſſaſſe; & proindè, cum ſydera quoque non ſibi ven-

dicent aliquem determinatum ſitum, nec ipſa, nec Cælum ad illum adipiſcendum moventur? Nonnè, menſuram totius motus ab Arcano Divinæ mentis pendere conſilio, diximus, intendentis numerum Electorum complere, propter quos & Cœlum, & Aſtra produxit? Quare

Ad ſecundum motivum cum eodem D. Thoma quæſt. 88. art. 2. ad primum reſpondemus, aliam eſſe rationem de prioribus illis Sanctis Patribus, ac de expectantibus ſecundum Chriſti adventum: Nàm in primo adventu Chriſtus venit occultus ſecundum illud Iſaiæ, 45. verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator; & ideò, ut à fidelibus cognoſci potuiſſet, oportuit determinatè tempus determinare. Sed in ſecundo adventu veniet manifeſtè, ut dicitur in Pſalm. 49. Deus manifeſtè veniet, &c. & ideò circà cognitionem adventus ipſius error eſſe non poterit. Hæc D. Thomas, quaſi dicat,

quod

quod ad ipſum recipiendum notitia temporis non indigebimus, ut in primo præſtitum fuerat adventu. Neque ex ſignis, quæ prædicuntur in Evangelio, in determinatam cognitionem proximi judicii devenire poterunt homines tunc exiſtentes; ſiquidem, ut habet idem Doctor Sanctus, pericula illa non ſolum fuere in primitiva Eccleſia, quando intenſiùs, quando remiſſiùs, ſed etiam temporibus ſubſequentibus; Undè Ambroſ. cap. 21. in Lucam, cum videritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri, inquit: Verborum Cæleſtium nulli magis, quam nos teſtes ſumus, quos Mundi finis invenit; Et tamen ex illo jàm tempore, tempus plurimum tranſivit, & quandoque plures, quandoque pauciores tribulationes in Eccleſia fuerunt. Undè quãquàm credatur, in fine hujuſmodi pericula magis abundare, dubitari rationabiliter poterit, an major erit quantitas periculorum, futurum judicium præcedentium; nec

ſubindè decerni poterit,illa eſſe pericula Antichriſtũ proximè antecedẽtia; cum etiam circa tẽpora primitivę Eccleſię fuerint perſecutiones aliquæ adeò graves, & corruptiones errorũ adeò abundaverint,quod ab aliquibus tunc vicinus expectaretur, vel imminens Antichriſti adventus,ſicut dicitur in Eccleſiaſtica hiſtoria, & à Hieronymo in lib. de viris illuſtribus. Qui plura de his voluerit,quæ breviùs nos collegimus, Maluendam conſulat lib. 1. de Antichriſto cap. 25. & ſequentibus; Solum enim quaſi indirectè ad noſtrum faciebant propoſitum, ad exactum ſcilicet annorum numerum, à Mundi creatione tradendum:cujus ſummam, ut ad calculum reducatur,ac ob oculos proponatur, in epilogum ſategimus in calce redigere.

ADDUNTUR USQUE AD

ANni à creatione Mundi uſque ad Nativitatem Seth.	130.
Nativitatem Enos.	105.
Nativitatem Cainan.	90.
Nativitatem Malaleel.	70.
Nativitatem Jared.	65.
Nativitatem Henoch.	162.
Nativitatem Mathuſalem.	65.
Nativitatem Lamech.	187.
Nativitatem Noe.	182.
Diluvium.	600.
Nativitatem Arphaxad.	2.
Nativitatem Sale.	35.
Nativitatem Heber.	30.
Nativitatem Phaleg.	34.
Nativitatem Reu.	30.
Nativitatem Sarug.	32.
Nativitatem Nachor.	30.
Nativitatem Thare.	29.
Nativitatem Abrahæ.	130.
Nativitatem Iſaac.	100.
Nativitatem Jacob.	60.
Ingreſſum Jacob in Ægyptum.	130.
Mortem Joſeph.	71.
Exitum filiorũ Iſrael de Ægypto.	144.
Totum incolatum Iſraelis per deſertum.	40.
Inceptionem Templi Salomonis.	440.
Mortem Salomonis.	36.
Mortem Roboam.	17.
Mortem Abìam.	3.
Mortem Aſa.	40.
Mortem Joſaphat.	25.
Mortem Ochoziæ.	5.
Finem Athaliæ.	6.
Mortem Joas.	40.
	3165.

 Mor-

ADDUNTUR USQUE AD

	3165.	
Mortem Amaſiæ.	29.	
Mortem Azariæ.	52.	
Mortem Joatham.	16.	
Mortem Achaz.	16.	
Mortem Ezechiæ.	28.	
Mortem Manaſſes.	55.	
Mortem Amonis.	2.	
Mortem Joſiæ.	31.	
Deſolationem Jeruſalem.	21.	m. 10. d. 17.
Finem captivitatis.	70.	
Nativitatem Chriſti ex ſeptuaginta hebdomadis.	454.	m. 3.
Supputationis omnium ratio.	3940.	m. 1. d. 17.

Cuique facile erit eos addere annos, uſque ad ſuum tempus elapſos à Nativitate ſecundum carnem Chriſti Domini noſtri, qui vivit, & regnat cum Sancto Spiritu in Gloria Dei Patris in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium.

A

AAron Moyſe major natu pag. 141. Quo conditi Orbis anno obierit. pag. 142.
Abominatio Deſolationis in Loco Sãcto quid literaliter ſignet. 249. 252.
Abram in Thare filiis primus dignitate, non ordine. 122. *Habitans in Haran, ubi natus non fuerat, cur audierit egredere de Terra tua?* 125. *Quo Mundi anno natus?* 128. *Quo defunctus?* 129.
Academicorum error negantium

omnem in præſenti veritatis agnitionem. 321.

Achaz decennis genuit Ezechiam 162.

Adam ubi ſepultus. 90. *Poſterum ejus uſque ad Noe nativitas, & obitus.* 93. *Et deinceps; Et uſque ad Tribus Iacob.* 128,

Ægyptii exactam calluerunt anni menſuram. 60.

Ætates Mundi variæ, varièque deſignatæ. 85. *Hominis quotæ, & quales.* 86.

Angeli in primo conditionis inſtanti meruerunt. 4. *Si ab æterno creati fuiſſent, eorum actus non eſſent infinitè meritorii.* 12. *Simul creati cum Mundo corporeo.* 77.

Anima primi hominis in corpore creata. 83.

Anni Hieroglyphicum apud Ægyptios. 59. *Duodecimo quemque menſe completum teſtatur Scriptura.* 64. *Ejus, & menſis circumſcriptiones apud diverſas Nationes diverſæ.* 55. *Quot ab Orbe condito ad Chriſtum natum ſupputen-*

putentur, variant Authores. 52.

Annus magnus temerè aſſeritur terminus motus Cælorum. 362.

Ariſtotelis error de prima rerum productione. 79.

Athalia nepotes à filio progenitos (uno erepto) jugulat. 185. *Cum eſſet filia Achab, quare dicatur filia Amri?* 190.

Azarias quomodo regnaverit anno in quarto Libro Regum expreſſo. 188. *Quòd contra fas Domino thus adoleverit, lepra percuſſus.* 191.

C

CHaldaici Regni everſio ex nece Balthaſaris à Cyro illata. 218. *Qui Regna Babyloniorum, Medorumque in unum Perſarum coegit.* 224.

Chriſtus *Jeſus in primo Conceptionis inſtanti hominum ſalutem meruit.* 5. *Sanctus Sanctorum, & ex Rabbinis Sanctuarium Sanctuariorum.* 237. *Habuit gratia*

plenitudinem efficientiæ, & affluẽtiæ. 240. In ſervis ſuis patientibus veluti ab initio patiens. 276. Non meruit ſuæ Perſonæ unionem ad humanitatem, nec Deiparæ Maternitatem. 282. Baptizatus poſtea eodem die, quo adoratus à Magis. 303. Eodemque invitatus ad nuptias. 304. Probabiliùs vicesſima quinta Martii in ara Crucis oblatus. 344. Tribus annis, paucisq; menſibus prędicavit. 309.

Chriſti Charitas. 325. *Pietas erga ſuos fideles.* 233.

Circumciſio *quo Mundi anno primùm exercita.* 128.

Creaturarum *aliæ permanentes, aliæ ſucceſſivæ. 2. Prioris generis potuiſſe ab æterno produci, non repugnat. 4. In quo ſenſu tunc neceſſitate eſſendi gauderent. 6. Secundi generis creaturæ non potuerũt eſſe ab æterno. 15. & deinceps. Quolibet numero (etiam infinito, ſi poſſibilis eſſet) creaturarum ſe excedentium in perfectione, dabilis eſt ſemper alia majoris perfectionis.*

ctionis. 36.

D

DAmaſceni in Chriſtiana doctrina authoritas. 79.
Davidis ortus, & obitus. 159.
Dierumque, menſiumque diverſitas quarta Geneſis die inducta. 73.
Dierum in formatione rerum acceptio ex Auguſtino. 74.
Dies feſtus Judæorum Joannis. 5. fuit Pentecoſtes. 315.
Dies ſecundi adventus Domini quomodo dicatur eſſe in nocte? 357.

F

FEſta Hebræorum varia. 312. Et deinceps.
Fides veterum Patrum in Chriſtum venturum concurrebat ad juſtitiam culpæ expiativam, gloriæ meritoriam, non reatus remotivam, quo Cæli humanæ Naturæ obſerati fuerant. 241.

H Heb-

H

Hebdomada quandoque ſumpta pro ſepteno annorum numero. 63.266. Sumitur pro longiori tempore à quibuſdam Judæis, ſed fruſtra. 267.
Henoch etiamnùm vivat, nec ne? 96. Vivens, Divinæ Eſſentiæ viſione non fruitur. 99.
Herodes primus inter Judeæ Reges alienigena, plures libros verborum dierum combuſſit. 208. Apud Cæſarem à filiis accuſatus. 302.
Hiſtoria profana ex Sacra Scriptura ad normam corrigenda. 221.

I

Jechonias, ſeù Joachin quomodo ſterilis; ſi filios procreavit? 200.
Ioakim quomodo natus in tranſmigratione Babylonis? 226.
Ioannis Baptiſtæ captura, & neces quando acciderint? 327.
Iſraelitæ quanto tempore ab obitu

Io-

Ioſeph in Ægypto manſerint? 132. *In pœnã Idololatriæ à Gentibus oppreſſi.* 147. *Quo tempore Babylonica captivitas ſoluta.* 216. *Quot trucidati, venundati Romana clade ſub Tito.* 245. *Annis quandoque Lunaribus, Solaribus paſſim uſi.* 269.

Iudicii extremi tempus à Beatis cognitum. 361.

L

L*Ongo ævo viventium exempla.* 67.

Lucas Evangeliſta cur à Noe ad Abraham undecim Generationes recenſeat? 111.

M

M*Agi ex qua Orientis plaga ad Chriſtum adorandum venerint?* 302.

Mardochai ætas vindicatur. 221.

Maria Virgo habuit gratiæ plenitudinem redundantiæ in nos. 249.

Mat-

Matthæus Evangeliſta, qua de cauſa (ſecundum Chryſoſtomum) Eliacim Regem Juda in Chriſti Genealogia præterierit? 197. *Cur duplicis Iechoniæ meminerit* 198. *Et quomodo?* 199.

Menſis quot completus diebus ex Sacris litteris. 65. *Menſes tres dici poſſunt adhùc additis decem diebus.* 201. *Primus Menſis apud Hebræos qui?* 342.

Moyſes in omni ſapientia eruditus. 59. *Angelorum creationem cur ſubticuerit.* 80. *Sicut & Cainan Generationem.* 114. *Quo ætatis anno Tribus Iſrael eduxerit de Ægypto.* 134.

Mundum in tempore incepiſſe, Fidei dogma. 51. *Ejus initium ad Vernale Æquinoctiũ reducitur.* 352. *Tempus, quo finiendus, incertum.* 354.

N

NOe quantum vixerit? 104. *Qua ejus ætate diluvium.ibid.*

Nu-

Numa Pompilius Romano anno menſes duos adiecit. 56.

Numerus Senarius perfectione gaudet. 70.

O

Ochozias Rex Iuda cur quadraginta duorum annorum ætate regnaſſe dicatur. 173. *Quare cum Ioas, & Amaſia in Chriſti Genealogia à Matthæo taceatur?* 189.

Olimpias, Annorum numerus, ex quo nomen duxerit? 264.

Oſee filius Ela quomodo regnavit anno viceſimo Ioatham, qui ſolum regnavit ſedecim annis? 191.

P

Paraſceve quid ſignificet. 337.

Paſcha Iudæorum quando abſolutè dies feſtus appelletur. 317.

Qua die celebrari ſolitum. 333.

Paſcha manducare quid propriè eſſet. 336.

SS. Patres non meruerunt de condi-

gno

gno Verbi Incarnationem. 274.
Benè verò de congruo. 279.
Prædeſtinati ſubſtantia nequit eſſe Prædeſtinationis effectus. 294.
Prædicationis munus, ſicut, & prælationis non eſt in juvenili ætate temerè uſurpandum. 306.

Q

QUatuor menſes pro meſſe, proverbium apud Hebræos. 319.

R

ROma uſque ad Catonem Majorem Scriptoribus caruit. 264.
Romani eodem die, quo Iudæi Chriſtum egerunt in Crucem, quadrageſimo poſt anno Ieruſalem devaſtarunt. 245.

S

SAcræ Scripturæ apparens contradictio in annorum numero Regibus Iſrael, & Iuda. 167. 170.

Sa-

Salomon quo anno Mundi Templum Domino ædificare cœperit. 144. *Quo mortuus ſit.* 160. *Quo etiam Patri ſucceſſerit.* 162. *An æternùm reprobatus, incertum.* 164.
Saul quadraginta annis regnaſſe quòmodo intelligendum? 152. *Septuaginta hebdomadum Danielis anni fuerunt Solares.* 269. *Eorum inceptio, undè ſit ſumenda?* 258. *& ſequentibus.*
Septuaginta Interpretum Codex primò vitiosè tranſcriptus. 53. *A Xyſto V. emendatiſſimè reſtitutus.* 109.

T

TEmplum Domini, *quo Mundi anno extrui cœptum.* 144. *Quo à Rege Babylonis ſuccenſum.* 206. *A Cyro reædificari permiſsũ.* 228. *A Romanis everſum.* 253. *Refici à Deo prodigiis vetitũ.* 254
S. Thomas Aquinas quouſque Beatæ Mariæ Virginis gratiam evehat. 239.

Ti-

Titus Romanorum Dux exciſa à ſe Ieroſolymæ Deum fatetur authorem. 253. *Cenſet, decere, ut Sacerdotes intereant everſo Templo.* 255.

ER.

ERRATA	CORRIGE.
p.8.v.14. eſt nihilo	eſt ex nihilo
26.v.11. effici	efficaci
27.v.19. demoſtrare	demonſtrare
31.v.21. obire	abire
35.v.17. contra agentes	Contra Gentes
44 46.48. *De exitu annor.num.*	*De exacto annor.num.*
47.v.14.15.&17. demoſtrationes	demonſtrationes
48.v.6. demoſtrativè	demonſtrativè
ibi.v.20. Complutentium	Complutenſium
62.v.3.& deductionem	& quo ad deductionem
69.v.11. recenſiſti	recenſiti
87.v.7. circunciſionis	circumciſionis
88.v.2. Maximinianum	Maximianum
89.v.15. circunciſionem	circumciſionem
96.v.6. interprætantur	interpretantur
107.v.24. Salæ	Sale
116.v.5. rederetur	redderetur
130.v.ult. Faraone	Pharaone
133.v.12. anni	annis
151.v.15. tertio	tertii
152.v.3. *poſt illa verba Abdon octo v.15. addatur* Samſon, viginti cap. 15.	
156.v.15. Jepthæ	Jephte
163.v.8. temparamento	temperamento
164.v.4. Cupia	Copia
177.v.1.duocecimo	duodecimo
181.v.7.contingerit	contigerit
187.v.11. afferunt	offerunt
188.v.9. corregnaverat	conregnaverat
189.v.21. generetionem	generationem
192.v.9. mortum	mortuum
ibi.v.18. Azaria	Azarias.
208.v.19. Sabbathum	Sabbatum
244.v.25. Veſpeſiano	Veſpaſiano
264.v.3. at	ad

ERRATA CORRIGE.

ERRATA	CORRIGE
268.v.1. centenetia	centenaria
274.v.3. Goloi	Godoy
283.v.16. quanquam	quamquam
311.v.11. præcavit	prædicavit
332.v.ult. præcedere *hyems*	præcedere ante *hyemem*

Reliqua, ſivè leviora, ſivè in hac ultima correctione non deprehenſa, benignitati remittuntur Legentium.

ACI
Mi 68615